BIBL. TH.
P. C.

LUCUBRATIO THEOLOGICA

DE

ECCLESIA ET PRIMATU ROMANI PONTIFICIS

VACANTE SEDE APOSTOLICA

COLLATA ETIAM CODICIS JURIS CANONICI DOCTRINA

AUCTORE

ANTONIO M. IANNOTTA

EPISCOPO AQUINI, SORAE ET PONTISCURVI

SOLIO PONTIFICIO ADSISTENTE

EDITIO ALTERA EMENDATA ET AUCTA

ALMA COLLEGE
213.2
LIBRARY
J263
Alma, California

BIBL. TH.
P. R.

ROMA
TIPOGRAFIA DELL' UNIONE EDITRICE
Via Federico Cesi, 45
—
1919

17312

PROLOGUS.

Doctrinam catholicam de suprema auctoritate Romani Pontificis per hanc lucubrationem in animo meo est magis magisque ita confirmare, ut plenitudo potestatis eius quam latissime agnoscatur, atque etiam meam devotionem, pietatem ac venerationem erga altissimam et infallibilem Cathedram Vicarii Domini nostri Jesu Christi profiteri.

Id quidem ex officio mihi est peragendum, immo servandum. Episcopus enim non tantum venerari Summum Pontificem, sed etiam verbis et exemplis, actione ministeriali et personali, lucubrationibus et elocutionibus eius auctoritatem, iuribus divinis coruscantem, exhibere debet.

Occasio autem huius lucubrationis ultima vacatio Sedis Apostolicae ex obitu Papae Pii X fuit. Paucis enim

post diebus ab Eius decessu, haec quaestio facta est: Qua ratione, Sede vacante, Episcopi, qui divinitus in Ecclesia exsistunt, nihil quoad regimen eiusdem universae Ecclesiae peragere possunt?

Doctrina, quae per hanc lucubrationem exponitur, quaestionem solutam esse declarat. Titulo praecedentis editionis « *Theses de Primatu R. Pontificis, Sede vacante* » hunc novum hac altera editione substituere opportunum visum est. Nonnullis emendatis, theses, hac lucubratione, testimonio divinae revelationis et Theologorum doctrina auctae sunt.

Iª THESIS.

PER VIRTUTEM SUPERNATURALEM ORATIONIS JESU CHRISTI « *PATER SANCTE, SERVA EOS* » (1) ECCLESIA IUGITER SERVATUR IMMUTABILIS, PRAESERTIM VACANTE SEDE APOSTOLICA, ET EO TEMPORE VACATIONIS NIHIL INNOVARI POTEST.

Trifariam thesis dividitur: in prima parte probandum suscipitur per virtutem supernaturalem orationis Jesu Christi Ecclesiam iugiter servari immutabilem; in secunda parte servari immutabilem, praesertim vacante Sede Apostolica; in tertia parte tempore vacationis Sedis nihil innovari, neque immutari posse.

§ I.

1. – Qua cura, quo affectu, quo amore Jesus Christus Ecclesiam suam servat, manifestissimum est ex oratione, quam fecit, quando, *sublevatis oculis in coelum*, dixit: *Pater, venit hora*. Huius memorandae et valde commoventis orationis, praeter ea, quae Jesus Christus, ut homo, pro semetipso rogavit, praecipua pars sunt etiam illa, quae

(1) S. JOAN., cap. 17.

ad Apostolos et caeteros a se conversos spectant, necnon illa, quae ad universos Christifideles futuros, seu ad totam Ecclesiam spectant.

Expenduntur verba orationis.

Pater Sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi: ut sint unum sicut et nos. (1)

« *Serva eos in nomine tuo* »: idest tua virtute, tuo auxilio, tua omnipotentia, ut semper in me, meoque ac tuo amore et cultu persistant. (2)

« *Ut sint unum, sicut et nos* » scilicet consensu, voluntate et spiritu, sicut unum sumus natura, et eadem essentia divinitatis, ut scilicet uno charitatis spiritu coniuncti, semper me sequantur, nec inter se discordia dividantur; sed habeant unitatem spiritus per concordiam, quam nos habemus per eamdem essentiam. Ita S. Aug. et S. Ambros. lib. 4 de fide. (3)

Altera pars orationis ad eos, qui crediturí forent per verba Apostolorum, spectat. « *Non pro eis autem rogo tantum, sed et pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me* ».

---

(1) JOANN., cap. 17.
(2) A. LAPIDE, *Commentarium in Joann.*, cap. 17.
(3) Op. cit.

« Huc usque oravit Christus pro Apostolis, sub quibus « caeteros a se immediate conversos, ut 72 discipulos « intelligit: nunc orat pro caeteris fidelibus, qui per eo- « rum praedicationem successive quovis saeculo, usque « ad finem mundi in eum credituri sunt. Orat ergo pro « tota Ecclesia et pro omnibus christianis quavis aetate « futuris ». (1)

2. – Jesus Christus, utpote qui Mediator Dei et hominum est, quando Patrem suum pro hominibus rogat, semper ab eo exauditur, iuxta illud divi Pauli Apostoli « *exauditus est pro sua reverentia* ». (Epist. ad Haebr.). Atqui Patrem suum rogavit, ut Apostolos servaret et eos, qui per verbum ipsorum in eum credituri erant, nempe totam Ecclesiam; ergo pro Apostolis et pro tota Ecclesia exauditus est: ergo Ecclesia per virtutem supernaturalem orationis Jesu Christi « *Pater, serva eos* » iugiter servatur immutabilis.

3. – Enucleantur minor et consequentia.

Si vim, si obiectum extensivum funditus perpenderis illius orationis, haec duo prae oculis habenda sunt: 1° Jesus Christus post mortem suam Ecclesiam prospexit, et tot

---

(1) Op. cit.

tantasque difficultates atque obstacula, quae futura erant; in sua cogitatione Dei-hominis intellexit: 2º permanentem vitam Ecclesiae usque ad consummationem saeculi, nempe usque ad finem mundi, quae semper eadem, semper constanter sancta sine ruga, sine macula esse debebat, consideravit: de hisce duobus Patrem suum rogavit et omnipotentiam eius, ad obstacula superanda, postulavit.

4. – *a*) Post Pentecosten Ecclesia in toto orbe terrarum, etsi in singulis regionibus non magno numero Christifidelium, fuit per Apostolos, qui sine sacculo, sine pera missi sunt. Peregrini, omni prorsus humano auxilio carentes, ut fidem Jesu Christi annuntiarent, in oppida, castella et civitates se contulerunt: ipsissima eorum persona, naturaliter considerata, despicienda potius, quam excipienda erat. « Hierosolymis duodecim viri profecti « sunt », ait divus Justinus martyr, « in mundum, atque hi « quidem indocti et minime eloquentes; Dei enim virtute « humano generi denuntiaverunt, a Christo missos se esse, « qui cunctos Dei verbum docerent ». [1] Verbum, quod praedicabant, moribus, disciplinis et omni rationi degendi vitam omnino contrarium tunc erat. Hisce omnibus obstantibus, Apostoli in Jesu Christi fide permanserunt,

(1) S. Justinus, *In orat. ad Antonin.*

fidem praedicaverunt, pericula non timuerunt, obstaculis restiterunt, quae pericula, quae obstacula ex his censenda sunt, quae S. Leo declarat, cum dicit esse Romam Sedem Gentilitatis. « Hic conculcandae philosophiae opiniones, « hic dissolvendae erant terrenae sapientiae vanitates: « hic confutandi daemonum cultus: hic omnium sacri- « legiorum impietas destruenda ». Quaenam alia virtus eos roboravit, et eos fortes in fide, constantesque in Apostolatu servavit, nisi virtus illa, quam Jesus Christus a Patre rogavit, et de qua exauditus est pro reverentia sua?

5. – *b*) Vita autem evolutivo-permanens Ecclesiae quavis aetate mirum in modum virtutem supernaturalem orationis Jesu Christi ad eam servandam exhibet. Effectus, qui non ex causis naturalibus exsistit, quando valde est realis, per virtutem supernaturalem quidem exsistere debet. Ecclesiae igitur vita evolutivo-permanens, quippe quae effectus non ex causis naturalibus est, per virtutem supernaturalem exsistere debet, quae nulla alia esse potest, nisi virtus orationis: « *Pater Sancte, serva* ». Jerosolymis protomartyr levita S. Stephanus in odium Jesu Christi lapidatus est. Persecutio post mortem huius protomartyris ad delendam Ecclesiam ab Agrippa anno 44 decreta est, qua id unum impiissimus et crudelissimus impe-

rator intendit, ut Apostoli potissimum occiderentur, ne amplius Evangelium praedicaretur, fides propagaretur et Christifideles multiplicarentur: hac ratione ab imis Ecclesia perdenda erat. « Prima enim post necem Stephano « illatam concitata in Ecclesiam persecutio omnes chri- « stifideles exagitavit praeter Apostolos, qui (ut ex Luca « vidimus) expulsis caeteris, soli permissi sunt Jeroso- « lymis agere: quae vero hoc anno ab Agrippa est con- « flata vexatio, in ipsos tantum Ecclesiae vertices, Sanctos « Apostolos, est furore bacchata: ratus nimirum ille, si « fundamenta convelleret, omnem desuper molem con- « structam parvo dirutum iri negotio ». (1) Apostoli vero, etsi hanc persecutionem saevissimam contra ipsos decretam esse scirent, gaudentes tamen pro nomine Jesu contumeliam pati, fortes in fide, fortes in suo ministerio fuerunt. Ex virtute quidem orationis Jesu Christi ipsi servati sunt, et martyrii corona decorati sunt. Omnes, qui verbum vitae exceperunt et fidem professi sunt, eodem modo atque Apostoli, martyrii corona decorati sunt. Quid ex tanto sanguine martyrum? quid ex tot tantisque persecutionibus? fuitne periculum vitae Ecclesiae? fuit maior credentium numerus. « Semen est,

---

(1) Cardinalis Baronius, *Annal. Eccles.*, tom. I.

ait Tertullianus, sanguis christianorum ». Ecclesia, quamvis odium Caesarum saevientium et edicta ad eam perdendam experta sit, in sua tamen vita evolutivo-permanenti, *tamquam vitis abundans in lateribus domus suae*, servata est.

Post persecutiones romanorum imperatorum vita Ecclesiae evolutivo-permanens etiam atque etiam virtutem orationis Jesu Christi ad Patrem exhibet. Quavis aetate ii memorantur, qui, facti surculi Satanae, immo veri filii diaboli, non solum Jesu Christi fidem abiecerunt, sed matrem Ecclesiam despexerunt, impietate gloriantes, superbia tumentes, haereses professi, haeresiarchae et haeretici nuncupati sunt. Quae haereses multimodis dogmata negantes et proscribentes, eo tendebant et tendunt, ut institutio et vita Ecclesiae, quam Jesus Christus acquisivit sanguine suo, oppugnetur et pessumdetur. De cunctis haeresibus id dicendum est, sed praesertim de haeresi Arianorum, qui, negantes Jesum Christum esse Verbum factum carnem, funditus Ecclesiam evertere conati sunt, quippe quae a Jesu Christo Deo-homine instituta est. Arianorum haeresis tam late propagata est, ut totus mundus videretur esse arianus. Quid de haeresi Lutheri? post arianos diabolicos errores, haeresis Lutherana primario et efficaciter agens habenda est, quae adhuc animos pervadit

et pervertit. Lutheranismus acceptissima haeresis est homini lapso, quippe quae omnigenam passionem et corruptionem fovet. Illud enim diabolicum Lutheri effatum « Christus pro peccatis omnium hominum, quae per fidem tecta sunt, satisfecit » maximum est incitamentum ad corruptionem. Ecclesia contra, illud divi Pauli tradit: « *Nolite errare: neque fures, neque rapaces, neque ebriosi, neque adulteri, neque molles regnum Dei possidebunt* ».[1] Traditur etiam: « *Fides sine operibus mortua est* ».[2] Sententia autem Jesu Christi « *Regnum caelorum vim patitur et violenti rapiunt illud* » talis synthesis est, ut ad opera salutaria et ad certamen contra pravas inclinationes unusquisque suadeatur. Schismatici Ecclesiae ita resistunt, ut censeant sese non urgeri obedire mandatis eius. Apostatae a fide recedunt, eam abiiciunt, Ecclesiam contemnunt et impetunt. Sed quid contra vitam Ecclesiae ob tot certamina haereticorum, schismaticorum et apostatarum? Portae inferi non praevaluerunt, nec unquam praevalebunt. Vita evolutivo-permanens Ecclesiae, quavis aetate, constanter fidem Jesu Christi profitentis semper eadem fuit, atque fuit aetate Apostolica. Apostatae,

---

(1) S. Pauli, *ad Corinth.*, cap. 6.
2) S. Jacob.

haeretici et schismatici nullo modo vitam eius turbaverunt, nec ex aliqua parte pessumdederunt. Id quidem supra naturam factum est. Natura hominum talis est, ut saepe paulo post res suas mutet, et saepe saepius a recta agendi ratione decidat, vel declinet.

Vere igitur per virtutem supernaturalem orationis Jesu Christi « *Pater Sancte, serva eos* » Ecclesia iugiter servata est immutabilis.

§ II.

6. – Ex virtute orationis Jesu Christi « *Pater Sancte, serva eos* » Ecclesia servatur, praesertim vacante Sede Apostolica. Jesus Christus dicendo, seu rogando Patrem verbis « *serva eos* » quae idem significant atque serva Ecclesiam, motivum huiusmodi conservationis, vel finem in eo posuit, « *ut sint unum* ». Praesertim autem vacante Sede Apostolica per virtutem illius orationis Ecclesia iugiter servatur immutabilis, quia etiam eo tempore praesertim motivum, seu finis conservationis, apparet et manifestus est, et enitet: animadvertas tamen oportet, non eo sensu dici motivum, vel finem conservationis apparere et enitere, praesertim Sede vacante, ita ut cogitare possis ante vacationem minus conservatam esse

Ecclesiam, sed dici eo tempore servari, etsi deest subiectum potestatis Primatus.

7. – Illud « *ut sint unum* » quodammodo, sede vacante, solemnius et significantius prae oculis habetur. Unitas, quam Theologi omnes inter notas Ecclesiae primam esse tradunt, ad mentem divinam Jesu Christi sustineri potest. Eapropter dicendum est Ecclesiam, Sede vacante, per virtutem orationis Jesu Christi servari immutabilem, ex eo quod nota unitatis eius eo tempore servatur.

8. – Verba praeclarissimi theologi Card. Billot heic referre iuvat: « Unitas fidei et unitas communionis, quarum « altera respicit intellectus, altera respicit voluntates, « principium *generativum et conservativum ab unitate re-* « *giminis habent* ». [1] Tempore vacationis, quamvis subiectum potestatis Primatus, seu individua persona R. Pontificis desit, unitas tamen fidei et unitas communionis nunquam desunt. Quodnam autem est tunc principium generativum et conservativum, quod ex unitate regiminis habetur? [2]

---

(1) *Tractatus de Ecclesia.*

(2) « Optimum autem regimen multitudinis est, ut regatur per unum; « quod patet ex fine regiminis, qui est pax: pax enim et unitas subditorum

Illud « Sede vacante, nihil innovetur » quod paulo inferius heic expendendum et tractandum suscipitur, si funditus perpenderis, verum conservativum principium unitatis fidei et communionis habendum est, ex eo quod tempore vacationis universa Ecclesia illud « Sede vacante, nihil innovetur » ita immutabiliter servat, ut semper eniteat et semper exsistat principium unitatis ex unitate permanente legum vigentium et urgentium defuncti Pontificis, et ex vi divina veritatum fidei semper salutari ratione urgentium. Sede vacante Apostolica sane, eodem affectu, eodem modo, eadem sanctitate atque si viveret Summus Pontifex, a Christifidelibus omnes urgentes leges rite servantur, omnes et singulae fidei veritates alimentum eorum pietatis, immo germen fecundum sanctitatis sunt.

9. – Unitatem fidei et communionis in re, seu in facto, tu mirabiliter, Sede vacante, perspicis. Traditiones dogmaticae ab omnibus christifidelibus servantur, sacramentorum usus servatur, cultus externus servatur, fides integritate perfecta verbis et operibus effulget et manifestatur. Cunctas huiusmodi fidei manifestationes putasne

---

« finis est regentis: unitatis autem congruentior causa est unus, quam « multi. Manifestum est igitur regimen Ecclesiae, sic esse dispositum, ut « unus toti Ecclesiae praesit ». (S. Thomas, *contra Gentes*, IV, 76).

ex virtute naturali fieri? Haudquaquam. Jesus Christus Patrem suum rogavit, dicendo *« serva eos », exauditus est pro sua reverentia*, et proinde Ecclesia servatur immutabilis tempore vacationis.

10. – Talis fidei unitas et communionis semper eadem fuit in cunctis vacationibus, etiam temporibus, quibus persecutiones quotidie magis saevientes erant. Cum Sedes Apostolica ob martyrium S. Fabiani decem menses et quatuor vacaverit,[1] unitas fidei et communionis ita servata est eo tempore, ut electio Pontificis S. Cornelii, quae facta est anno 251,[2] fortasse dilata esset, nisi ex diro schismate impii Novati[3] pax Ecclesiae turbata esset. Sed etsi aliquando aliquis de clero libidine dominandi et ambitione adeo captus est, ut simoniace per suffragium populi et cleri antipapa factus sit, nullum tamen detrimentum unitatis fidei et communionis ex malis artibus illius animi ambitiosi Ecclesia passa est: semper immutabilis ipsa servata est, et magis magisque virtus divina orationis Jesu Christi manifestata est.

---

(1) Baronius, *Annales Eccl.*, tom. 2.
(2) Hergenröther, *Storia Universale della Chiesa*, I.
(3) Baronius, *Annales Eccl.*, tom. 2.

11. – Episcopi, qui successores sunt Apostolorum, tempore vacationis Sedis summa ope pascere gregem suum studeant, et quidquid animarum saluti perutile et necessarium ducitur, adimplendum curant eadem diligentia et pietate ac si Summus Pontifex viveret. Ipsi pene ex condicto hoc unum cogitant et desiderant, preces a Deo ita exaudiri pro successore in cathedra divi Petri, ut quam citius renuntietur. Potestas magisterii tam grave onus ipsorum animis est, ut sedulo animas sibi commissas pietatem et doctrinam salutarem edoceant. Mirabilem vim apostolatus sui, quae summopere eos iugiter urget, Sede vacante sentiunt, ut vivente Pontifice. Ex virtute Jesu Christi orationis « *serva eos* » Episcopi tunc eamdem navant operam et eodem animi sensu in ministerio, quam antea, et animo humili submissoque, omnino dependenti et reverenti Sedi Apostolicae degunt.

12. – « Mortuo Romano Pontifice, manet in Ecclesia « potestas ad conservandum fidei depositum et exercen- « dum sacrum ministerium, non ad aliquid innovandum. « Manet potestas *magisterii* ad conservandum depositum, « quia Christus non derelinquit Ecclesiam suam; fieri « nequeunt *novae definitiones*, quia deest adsistentia Spi- « ritus Sancti, promissa Petro, et alia promissa Apostolis,

« siquidem, Sede vacante, Episcoporum Collegium non est « oecumenicum. Manet potestas *iurisdictionis*, quia in « Episcopis est *ordinaria*, et *delegata* non semper cessat « morte delegantis; novae tamen leges, universam Eccle- « siam devincientes, condi nequeunt, quia deest subie- « ctum, in quo potestas supra universam Ecclesiam resi- « deat » (Manzoni, *Compendium Theol. Dogm.*, Vol. I. trac. 2º, n. 478).

13. – Episcoporum Collegium Romano Pontifici, dum vivit, coniunctum et obediens est et esse debet. Quod idem officium, Sede vacante, erga Sacrum Collegium etiam exhibere debet, usque dum successor sit nominatus, seu designatus. Bullae enim Romanorum Pontificum, iussis et legibus post eorum mortem a Cardinalibus servandis, enucleate docent ab Episcopis cum Sacro Collegio coniunctionem ipsique obedientiam habendas esse, cum quotidie Cardinales se congregare et conventus habere debent ad negotia expedienda. Instructio Leonis Papae XIII a Sacro Collegio, tempore Sedis vacationis, servanda, est solemne documentum, necnon postrema Bulla Pii Papae X. anni 1904, quae leges et regulas ad successorem determinandum vitandaque incommoda habet.

14. – Quae omnia Sacri Collegii institutionem et causam rationemque, ex qua in Ecclesiae administrationis regimine, Sede vacante, ipsum manet, magnopere explanant. Papa hoc nobili Sacro Senatu tanta vi vitali, tantoque splendore praedito, dum vivit, se circumdat, quia ita agendi ius a Domino Nostro Jesu Christo accepit: item Ecclesiae administrationis regimen Sacro Collegio, Sede vacante, committendi ius habet.

« Tempore Sedis vacantis duplex habeatur Cardina-
« lium Congregatio, altera generalis, sive totius Collegii,
« altera particularis, constans tribus Cardinalibus anti-
« quioribus, uno ex quoque Ordine, cum Camerario, quo-
« rum officium tertia die post Conclavis ingressum omnino
« expirat, in eorumque locum tres alii sequentes in Ordine
« quolibet tertia die una cum eodem Camerario succedunt.
« Volumus ut in dictis Congregationibus particularibus,
« quae sive ante, sive post coeptum Conclave haberi pote-
« runt, levioris dumtaxat momenti, ac in dies seu passim
« occurentia negotia expediantur. Si quid vero gravioris
« momenti atque indaginis fuerit, id omne ad Congrega-
« tionem generalem, seu ad Sacrum Collegium Cardina-
« lium deferatur ».[1]

(1) *Codex Juris Can.*, docum. I: *Bulla Pii Papae X*, 25 decem. 1904.

15. – A Collegio Episcoporum, qui, Sede Apostolica vacante, *unum* sunt inter ipsos quoad magisterium pro grege sibimetipsis commisso, et *unum* sunt quoad subiectionem auctoritati Sedis Apostolicae, praeclarissimum factum exhibetur, quo usque ad consummationem saeculi solemnius et firmius traditur, praesertim vacante Sede Apostolica, per supernaturalem virtutem orationis Jesu Christi « *Pater Sancte, serva eos* », iugiter immutabilem Ecclesiam servari.

Adsistentia Jesu Christi suae Ecclesiae, semper eadem, semper favens est, semper eius vitam et evolutionem dirigens; in sede autem vacante tamquam visibiliori apparet modo. Omnia verba divini sui Institutoris, omnesque mirae eius promissiones ad eam custodiendam, illuminandam atque tuendam, toto tempore, quo Sedes vacaverit, argumentum et factum mirabilis divinae suae conservationis constituunt. Per eos dies, quibus, Summo Pontifice defuncto, successor nominandus erit, clare aperteque significatur, ipsum Dominum Jesum Christum mirificae unionis animorum in Conclave ita auctorem esse, ut omnes ibi cor unum et anima una sint ad exsequendum quidquid a defuncto Papa de successore mandatum sit.

§ III.

16. -- Illud « *Sede vacante, nihil innovetur*» quod nunc expendendum est et tractandum pro tempore vacationis Sedis Apostolicae, maximam vim habet per Bullas Romanorum Pontificum, Leonis Papae XIII et Pii Papae X.

In Bulla « *Praedecessores nostri* » die 25 maii 1882 Leo XIII haec servanda tradit: « Etsi vero amplam illam « facultatem Collegio Cardinalium concesserimus, prae- « sertim quoad tempus et locum electionis futuri Romani « Pontificis, nihil tamen innovatum esse declaramus, « sive quantum ad generalem canonum sanctionem, ne, « *sede vacante, aliquid innovetur;* sive quantum ad speciale « constitutiones ». In Bulla « *Vacante Sede Apostolica* » die 25 decembris 1904, Pius Papa X pene eadem servanda tradit: « Leges a Romanis Pontificibus latae, per coetum « Cardinalium Romanae Ecclesiae, ipsa vacante, corrigi « vel immutari nullo modo possunt, nec quicquam eis de- « trahi sive addi, vel dispensari circa ipsas seu aliquam « earum partem ». Ex hisce verbis tu perspicis, leges a Romanis Pontificibus latas servandas esse et nullo usquam

modo aliquid novi decerni posse: adeo ut vita Ecclesiae tempore vacationis Sedis Apostolicae sit actionis *conservativae:* nulla prorsus mutatio fieri potest.

17. – Cum enim ex vi naturae R. Pontifex diem supremum obeat, eo modo vita Ecclesiae remanet, in quo est, nec quidquam mutari vel addi potest. Plenitudo potestatis Primatus eius tam late extenditur, tanta est, ut tempore vacationis Sedis Apostolicae vim prohibentem prae se ferat, quominus aliquid novi in Ecclesia agatur. Hierarchia divinitus instituta, quae *ratione iurisdictionis constat Pontificatu supremo et episcopatu subordinato,*[1] et christifideles, qui subditi sunt, Sede vacante, mandata et leges R. Pontificis perinde atque si viveret, adimplere debent. Omnes Summorum Pontificum Bullae, quae mandata ordinationesque post eorum mortem adimplendas observandasque continent, plene stricteque obligant: habendae sunt leges ad Ecclesiae bonum editae, quae, Sede vacante, observari debent. Tota Ecclesia eas non solum sui Capitis voluntatis declarationes aestimare, sed pio affectu omnimodaque obedientia venerari debet. Atque adeo, sicut inobedientiae culpa peccaret, qui leges viola-

---

(1) *Codex Juris Canonici*, Canon 108.

ret Pontificias, vivente Pontifice, eadem inobedientiae culpa macularetur, qui defuncto Pontifice, leges Sede vacante valituras, praeterire aut contemnere auderet.

18. – Quodvis mandatum et quaevis lex in antecessum vigens, servanda est, quin ulla prorsus mutatio fieri possit. Praeclarissimi theologi Cardinalis Billot verba heic referre iuvat, quae, etsi discrimen inter civilem principatum, qui mutationibus subiicitur, et inter Ecclesiam, quae nunquam mutationibus subiicitur, exponunt, tamen Ecclesiam mutationibus nunquam subiici manifestant: « Ultimo demum consequitur, quod nullus remanet locus « mutationibus illis, utique tot ac tantis, quae alias acci« dunt iuxta variationes temporum, eventuum, aut qua« rumlibet circumstantiarum humanarum ».[1]

Quapropter dicendum est: si ex divina constitutione Ecclesiae nullus locus remanet mutationibus, id potissimum tempore vacationis Sedis Apostolicae retineatur oportet. Ecclesia universa, mortuo R. Pontifice, illis omnibus legibus et fidei veritatibus regitur, quae iam statutae sunt, sancitae sunt, et quae iam exsistunt et vigent: adeo ut gregem Jesu Christi, sive agnos sive oves, qui eo tem-

---

(1) *Tractatus De Ecclesia*, quaest. XII.

pore, ut in antecessum, pascendi sunt, iisdem fidei veritatibus, iisdem legibus pascere oporteat, et nihil innovari possit.

19. – Magna quidem gloria Ecclesiae est, et dici potest etiam aliquid divinum, quod, vacante Sede Apostolica, omnia sint in sanctificationem spiritus, ut antea, et omnia fide, spe et charitate peragantur, et unusquisque tam de hierarchia, quam de christifidelibus nusquam ita sibi indulgeat, ut nonnulla, sive fidei veritates, sive leges non vigere, vel non urgere in animo habeat.

Si quid novi itaque gerere auderes, vacante Sede Apostolica, compagem Ecclesiae pessumdare pertentares et gravissima culpa teipsum maculares.

Quapropter iure et merito concludendum est: illud « *nihil innovetur* » ita retinendum est, ut tempore vacationis Sedis Apostolicae nihil innovari possit.

20. – Ultimo hoc argumento veritatem confirmari iuvat. Subiectum potestatis Primatus, Summus Pontifex, cui a Jesu Christo dictum est: « *confirma fratres tuos* », « *pasce agnos meos, pasce oves meas* », « *quaecumque ligaveris super terram etc.* », ad regendam Ecclesiam leges ferre potest et debet, et illas, mutare potest, si bonum Ecclesiae id requirit, et potest fidei veritatem declarare et propo-

nere sanctione suae divinae auctoritatis. Sed, vacante Sede Apostolica, subiectum potestatis Primatus deest: ergo eo tempore neque leges ferri, neque mutari, neque fidei veritates sanciri nova sanctione possunt: nihil ergo innovari potest, vacante Sede Apostolica.

ANIMADVERSIONES.

Ne censeatur esse vel obscurum, vel aliquatenus non iuxta communem doctrinam theologorum, quidquid in praecedenti editione dictum est, ad mentem eius,[1] a quo animadvertitur, quo sensu leges defuncti Pontificis urgent,[2] hac thesi (§ I et § II) eadem doctrina habita in thes primum edita, satis declarari videtur, obeunte Summo Pontifice, leges urgere, ut antea, et omnino in conscientia a tota Ecclesia servari. Insuper nullatenus cogitari potest quidquam novi in Ecclesia a quovis fas esse attentari.

---

(1) *Civiltà Cattolica*, 16 novembre 1918.

(2) « Tam leges Pontificum praedecessorum vigentes, seu non abrogatae, quam leges propriae defuncti Pontificis eamdem vim habent ».

IIª THESIS.

ROMANUS PONTIFEX IUS PROVIDENDI DE SUCCESSORE SUO HABET.

Praenotanda.

21. – Jus providendi de successore in Romano Pontificatu ad doctrinam mere theologico-dogmaticam pertinet. Primatus enim honoris et iurisdictionis in theologia dogmatica ex revelatione Jesu Christi probatus, hoc ius, non congruum, sed in ipso inclusum admittit. Modus autem providendi, qui humanus et variabilis est, ad institutiones iuris canonici spectat.

22. – Thesis ad mentem Concilii Vaticani est, seu iuxta illius doctrinam, quae damnat eos omnes (Richerium, Febronium, Gallicanos et eorum asseclas), qui censent « Romanum Pontificem habere tantummodo officium in- « spectionis vel directionis, non autem plenam et supre- « mam potestatem iurisdictionis in universam Ecclesiam, « non solum in rebus, quae ad fidem et mores, sed etiam in « iis, quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae, per totum « orbem diffusae, pertinent; aut eum habere tantum po-

« tiores partes, non vero totam plenitudinem huius su-
« premae potestatis ».[1]

Suscipitur autem thesis probanda, ut magis magisque auctoritas Romani Pontificis effulgeat.

§ I.

Jesus Christus, praedicans verbum vitae, discipulos, qui eum sequebantur, habuit: ex his, post orationem per totam noctem factam, duodecim elegit, quos Apostolos nominavit. « *Et erat pernoctans in oratione Dei. Et cum* « *dies factus esset, vocavit discipulos suos, et elegit duodecim* « *ex ipsis, quos et Apostolos nominavit* ».[2] Collegium Apostolorum itaque ex discipulis Jesu Christi constitutum est. Sed, praeter hoc collegium, « *Dominus designavit et* « *alios septuaginta duos: et misit illos binos ante faciem* « *suam in omnem civitatem et locum, quo erat ipse venturus* ».[3]

---

(1) Pastor, c. 3.

(2) S. Luc., cap. VI.

(3) S. Luc, cap. X. « Septuaginta duo discipuli respondent 72 genti-
« bus totius mundi, ait Beda, quasi cuique genti Christus suum attribuerit
« discipulum, ut curatorem: nam 72 gentes et linguas, in quas divisi fuere
« homines, in dispersione Babel numerant S. Augustinus, S. Hierony-
« mus, S. Prosper et alii ». (Corn. a Lapide, *commentarium in Lucam*, cap. X).

Praeterea quamvis usque ad mortem Jesu Christi vetus Synagoga munere suo fungeretur, et omnes eius observantiae vigentes manerent, Ecclesia tamen per verbum vitae Jesu Christi et per duo Sacramenta iam instituta, baptismum (legitur enim in Evangelio S. Joannis (III, 22): « *post haec venit Jesus et discipuli eius in terram Judaeam... et baptizabat* ») et SS.mam Eucharistiam in coena; etsi in pusillo grege, ante mortem iam praeformata, iam initiata erat. Praeclarissimus theologus Card. Billot id tradit: « Ideoque per tres annos praedicationis et apostolatus « Jesu Christi praeformatam tantum videmus Ecclesiam, « quamvis ita praeformatam, ut iam in actu primo pro- « ximo appareat constituta, cui scilicet nihil deerat, nisi « ultimae impositio formae ». Alibi[1] idem praeclarissimus theologus Billot ita scribit: « Ergo, quando pergebat ad « crucem Christus, iam erant instituta sacrificium novae « legis, et duo praecipua sacramenta, quae sunt baptismus « et eucharistia: iam initiata societas regni caelorum in « pusillo discipulorum grege ».[2] In hac praeformata vel initiata Ecclesia neque discipulis, neque collegio Apostolorum, neque septuaginta duobus designatis Jesus Christus

(1) Billot, *De Ecclesia Christi*, quaest. I, thes. I.
(2) Billot, *De Ecclesia*, ibi.

ius constituendi suum Vicarium successorem commisit, sed ipse personaliter eum constituit. Praeter enim declarationem factam in Caesarea Philippi, qua revelavit, a se et non ab aliis supra Petrum Ecclesiam aedificatum iri, revelavit etiam, ex quo tempore Petrus, ab eo constitutus suus Vicarius successor, Ecclesiam regere incepturus erat. Tam ius regendi Ecclesiam de facto commissum beato Petro, quam tempus initii regiminis in his verbis est: « *Et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos* ».

In sensu historico et dogmatico haec verba expendenda sunt.

23. – Juxta Vulgatam dicitur: « *Confirma fratres tuos* »; iuxta textum graecum dicitur στήρισον *firma*. (S. Lucas) Eiusmodi verba in sensu historico illam horam innuunt, in qua, adimpleto vaticinio « *Percutiam Pastorem, et dispergentur oves* » discipuli, timore perculsi, relicto Jesu, fugerunt statim ac milites manus in eum iniecerunt.

Petrus, qui dixit Jesu: « *et si oportuerit me mori tecum, non te negabo* » post fugam *sequebatur eum a longe*,[1] et

(1) « Caeteris Apostolis in fuga alio dilapsis, solus Petrus ex fuga colli- « gens animum restitit, et partim ex curiositate, partim et magis ex amore « Jesu, magistri sui, secutus est eum iam a satellitibus captum... quod ergo « fugit, timoris fuit; quod rediit, amoris timorem superantis. Unde S. Am-

in atrio principis sacerdotum ter eum negavit, ante galli cantum, ut ei Jesus praedixit. Jesus autem atrium pertransiens, « *respexit Petrum, qui continuo egressus foras, flevit « amare* ». Ex ista hora beatus Petrus ius de facto regendi Ecclesiam habuit.

24. – In sensu dogmatico verba « *aliquando conversus, confirma fratres tuos* » significant, ex illo momento temporis, quo Petrus flevit amare, a Jesu Christo Vicarium suum successorem ad Ecclesiam regendam declaratum esse. Divus Thomas Angelicus haec tradit: « Regere autem « providentiae actus est. Unde secundum hoc aliquis « regnum habere dicitur, quod alios sub sua providentia « habet, et ideo secundum hoc homines in regno Dei esse « dicuntur, quod eius providentiae subduntur ».[1] In verbis

---

« brosius in capite XXII Lucae: *Petrus*, ait, *in hoc nobis maxima est « admiratione reverendus, quod Dominum non reliquit, etiam cum timeret. « Metus naturae est: cura, pietatis.*

« *In Petro ergo luctabantur timor et amor; hic amor vicit timorem; sed « mox in tentatione gravi timor vicit amorem, cum timens ministros negavit « Christum.*

« Modum et rei gestae seriem distinctius narrat Joannes, XVIII, 15, « dicens: *sequebatur autem Iesum Simon Petrus, et alius discipulus. Discipulus « autem ille erat notus Pontifici, et introivit cum Iesu in atrium Pontifícis. Petrus autem stabat ad ostium foris. Exivit ergo discipulus alius, qui « erat notus Pontifici, et dixit ostiariae, et introduxit Petrum* » (Cornelius a Lapide, *Commentaria in Mattheum*, cap. XXVI, 57, 58.

(1) IV, D. 49, quaest, 1, art. II.

« *confirma, vel firma fratres tuos* »[1] beatus Petrus munus et onus infirmitati, seu non firmitati, fratrum suorum providendi habuit. Ipsi enim ob fugam, quando milites manus in Jesum iniecerunt, sese non firmos, seu timidos ostenderunt: quapropter providendum erat, ut ad pristinam vitae rationem ipsi revocarentur. Cum actus

---

(1) « *Confirma* (in fide, de qua praecessit) *fratres tuos*, et consequenter « meos. Mira hic Christi dignatio, qua Apostolos, non vocat filios, etsi « spiritaliter eos genuisset, sed *fratres*, tum quia Christus, qua homo, « omnium hominum erat fratrer, utpote consors ejusdem naturae humanae: « tum quia Apostoli in apostolatu et praedicatione Evangelii, erant quasi « fratres et collegae Christi. Idem enim agebant quod Christus. Hinc col- « ligunt patres citati et Doctores (Euthymius, Theophylactus, Iansenius, « Franciscus Lucas et alii) Petrum a Christo fuisse praepositum caeteris « Apostolis, ac consequenter totius Ecclesiae factum esse principem et « caput ut eamdem in fide et religione Christi instrueret, perficeret, et con- « firmaret ». (Cornelius a Lapide, *Commentaria in Lucam*, XXII, 32).

Ex recentioribus auctoribus commentariorum Evang. magis magisque sensus dogmaticus confirmatur.

« *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Haec verba v. 31, 32 « apud solum Lucam leguntur. Cum Evangelio ea contineant, quae ab « Apostolos predicabantur (cf. Cornely, *Introd.* III) iam inde colligendum « est, ea quoque Domini verba a catechesibus non fuisse exclusa, adeoque « probe intellexisse Apostolos illis inesse vim et significationem, quae longe « privatam quamdam ac veluti domesticam excludat, et ad Ecclesiam « pertineat universam. Proinde delineari ac designari officium capitis et « Principis Apostolorum et Ecclesiae, cujus sit alios, quos habere debeat « tamquam fratres, confirmare, eorum fidem tueri, et, potestate sibi tra- « dita, intactam incolumemque servare, et errantes vel titubantes in « rectum fidei tramitem reducere, in eoque reddere firmos ac stabiles ». (Knabenbauer, *Comment. in quatuor Evang.*).

autem providentiae sit regere, beatus Petrus, qui non firmitati fratrum suorum providendi munus et onus habuit, eos regendi munus et onus habuit: atqui in pusillo grege fratrum Petri Ecclesia tunc erat: ergo in verbis « *firma fratres tuos* » beatus Petrus munus et onus regendi Ecclesiam habuit. Princeps Apostolorum itaque ipse est dicendus ex illa hora, qua conversus est, amare flendo, quia ex illa hora potestatem regendi Ecclesiam habuit. Theophylactus ita tradit: « Tu vero conversus confirma fra-« tres tuos; planus intellectus huius is est: quia te habeant « principem discipulorum, postquam, negato me, fleveris « et ad poenitentiam veneris, confirma caeteros. Hoc enim « te decet, qui post me Ecclesiae petra es et firmamentum (Theoph. in cap. 22 Lucae).

Praeclarissimus noster Soranus Cardin. Baronius in Annalibus Ecclesiasticis (tom. 1) haec tradit confirmans thesim: « Joannes Chrysostomus, dum de his agit verbis, « quibus affatus Christus est Petrum, haec ait: quid tan-« dem, aliis omissis, de his dumtaxat Petrum affatur? « Os erat Apostolorum, et princeps et vertex ipsius coetus; « propterea et Paulus, eum praeter alios visurus ascendit, « simul ut ei ostenderet iam sibi fiduciam habendam; « tamquam enim negationis oblivisceretur, *fratrum cu-« ram ei committit*, neque negationis meminit, neque expro-

« brat, sed tantum dicit: *si amas me*, fratrum curam « suscipias. Haec Chrysostomus, alludens, ut apparet, ad « illud a Domino Petro dictum: *et tu aliquando conversus « confirma fratres tuos* ».

25. – Per verba « *pasce agnos meos, pasce oves ieas* »[1] quae post resurrectionem beato Petro Jesus Christus dixit, ex doctrina theologorum collatio potestatis completae pascendi, ducendi, regendi, eidem Petro datae significatur. Sed ex eiusmodi collatione potestatis completae minime excluditur potestas collata per verba « *confirma « fratres tuos* », quin immo confirmatur. « Constat igitur, « quod cum Petrum instituebat Dominus Pastorem gre- « gis sui, completam ei tradebat gubernandi potestatem ».[2]

Ratio autem, ob quam Jesus Christus post verba « *confirma fratres tuos* » etiam verba « *pasce agnos, pasce oves* » beato Petro dixit, in eo est, ut significaret, qualem gregem ei pascendum traderet. Qui grex propter bis repetitos agnos, iuxta vulgatam versionem ex duobus populis Judaeorum et Gentilium componendus erat.

« Quidquid vero sit, patet Christum committere Petro « gregem suum de integro pascendum. Et si quidem acci-

---

(1) JOANN, cap. XXI.

(2) BILLOT, *De Ecclesia*, quaest. XIII, thesis 25.

« piamus nostram versionem vulgatam: *pasce agnos, pasce* « *agnos, pasce oves*, dicemus agnos bis repetitos propter « duos populos, Judaeorum et Gentilium; oves autem se- « mel nominatas propter Episcopos sive Apostolos, qui « sunt velut matres agnorum. Si autem accipiamus tex- « tum graecum prout probabilissime videtur sustinendus « *pasce agnos, pasce oviculas, pasce oves*, dicendum cum Am- « brosio supra citato, committi Petro incipientes et pro- « ficientes et perfectos, vel populos et presbyteros et epi- « scopos. Si denique accipiamus téxtum graecum, ut « nunc est, legendo ad litteram « *pasce agnos, pasce oves,* « *pasce oves* » tunc dicendum bis nominatas esse oves, « quia cum magis dubium esse potuisset, an Petro commit- « teretur praefectura super ipsos populi christiani principes « episcopos, conveniens fuit idipsum iterum atque iterum « inculcari ».[1] Non absonum est heic etiam verba Bellar- mini referre, qui tradidit a Domino Jesu Christo beato Petro gregem commendatum esse, quando « *pasce agnos* « *meos* » ei dixit « *pasce oves meas* ».

« Cum absque ulla restrictione addatur ad nomen oves « pronomen meas, manifeste significatur eas omnes oves « Petro commendari, ad quas extenditur pronomen meas.

---

(1) Billot, *De Ecclesia*, quaest. XIII, thes. 25.

« Certum autem est illud *meas* extendi ad omnes simpli-
« citer; nec enim ullus est in Ecclesia, qui se Christi ovem
« esse non glorietur. Igitur omnes omnino christianos,
« nullo excepto, Petro Dominus commendavit ».[1]

26. – Collata autem b. Petro potestate ad regendam Ecclesiam per verba « *confirma fratres tuos* », quid brevissimo tempore usque ad resurrectionem ipse egerit, in Evangelio non exponitur, non traditur, minime narratur.[2]

Verumtamen ex potissimis rationibus dicendum est b. Petrum etiam brevissimo tempore a sua conversione post triplicem negationem usque ad resurrectionem fratres suos confirmasse:

---

(1) *De R. Pontifice*, l. I, cap. 16.

(2) Neminem latet ab Evangelistis nec omnia, nec fuse narrari: ab ipso divo Joanne id declaratum est. *Multa quidem et alia signa fecit in conspectu discipulorum suorum, quae non sunt scripta in libro hoc.* Haud censendum est proinde b. Petrum tempore, quo Jesus in sepulcro fuit, confirmare fratres suos omisisse ex eo quod minime narratur in Evangelio. Pene apud omnes in confesso est, beatissimae matri suae Virgini Mariae Jesum primum apparuisse statim ac resurrexit, quamvis eiusmodi apparitio in Evangelio non memoretur. Id, quod ex natura rei erutum retinendum est, communiter affirmatur, in evangelio minime narrari necesse est. Jesus Christus igitur ex ordine naturae, cuius legem non solvere, sed adimplere venit, matri suae apparuit, statim ac a mortuis surrexit.

Eapropter dicendum est beatum Petrum tempore, quo Jesus in sepulcro iacuit, fratres suos, Apostolos iam dispersos, congregandos et confirmandos curavisse, quamquam in Evangelio non memoratur.

a) Qui diligit, semper agit: amor enim semper ad actionem movet. Petrus, qui post negationem flevit amare, certo Jesum diligere sese ostendit: contritio perfecta ex charitate perfecta. Ob hanc dilectionem itaque haud dubium est, quin etiam illis horis, quibus in sepulcro Jesus fuit, fratres suos confirmaverit;

b) praeceptum et non consilium est in verbis « *confirma fratres tuos* ». Qui autem vere diligit, vere diligenter et magno studio, sive praeceptum, sive legem, nulla interposita mora, adimplet. Petrum proinde, qui praeceptum confirmandi fratres suos habuit, etiam brevi tempore ante resurrectionem adimplevisse dicendum est.

27. – Praeterea haec duo sedulo consideranda sunt: illud « *relicto eo fugerunt* » et illud « *cum sero esset die illo una sabbatorum, et fores essent clausae, ubi erant discipuli congregati propter metum Judaeorum, Jesus stetit in medio eorum et dixit: pax vobis* ».[1] Ob fugam discipuli dispersi erant: statim vero post resurrectionem, immo in die resurrectionis[2] eos in unum locum convenire, et ibi esse congregatos ex Evangelio perspicuum est. Quisnam in hunc locum eos impulit? vel si non impulit, quisnam, ut illuc

(1) JOANN., cap. 20.
(2) S. LUC., cap. 24.

convenirent seu congregarentur hortatus est, nisi beatus Petrus? Petrus autem hoc fecit ex solo officio Principis Apostolorum.

Dices: fortuito contingere potuit discipulos post fugam et dispersionem congregatos esse; vel si non fortuito, ex condicto congregatos esse.

Resp: Ex evangelio patet discipulos *ob metum Judaeorum, clausis foribus*, congregatos esse. In animis metu captis nunquam est cogitatio conveniendi sese ex condicto, immo est prudentia, ne una simul se versari conspiciantur. Dicendum est ergo, discipulos esse congregatos, ubi fores erant clausae, quia b. Petrus ex Jesu Christi praecepto « *confirma* » ut Princeps Apostolorum, iam eos confirmaverat. Post resurrectionem ex evangelio luculentissime patet, b. Petrum munere Principis Apostolorum, quod in verbo « *confirma* » ei commissum est, functum esse. Mulieribus aromata ferentibus et sepulchrum introeuntibus, Angelus ait: « *Jesum quaeritis? resurrexit, non est hic: dicite discipulis et Petro* ». Joannes et Petrus ab ipsis mulieribus revelationem excipientes continuo ad sepulchrum se contulerunt. Quamvis autem Apostolus Joannes, utpote qui aetate iunior, primus ad sepulchrum pervenerit, non tamen ingressus est, sed beatum Petrum expectavit, qui, ut caput Ecclesiae, sepulchrum ingressus est.

28. – In ipso die resurrectionis Jesus Christus uni Simoni Petro prae caeteris Apostolis apparuit. « *Quod surrexit Dominus vere et apparuit Simoni* »[1] quae apparitio prius facta est, quam duo discipuli, regressi ex castello Emmaus, narraverint secum in itinere Jesum, non cognitum, comitatum esse, et in castello *cognoverint eum in fractione panis*. Postea Jesus Christus, iteratis vicibus, Petro una cum caeteris apostolis apparuit. In apparitione, facta uni Petro, auctoritas Primatus maxime enitet. « Petro ergo quasi poenitenti ac lapso et quasi Principi « Apostolorum primo apparuit Christus, antequam apparè- « ret his duobus discipulis et caeteris Apostolis ». Ita S. Aug. l. 3 « de consensu Evangel. ».[2] Resurrectio Jesu Christi praecipuum fidei nostrae argumentum est. Divus Apostolus Paulus ait « *Si Christus non resurrexit, vana est fides vestra* ».[3] Primo itaque Christus apparuit Petro, antequam aliis Apostolis appareret, ut auctoritatem, ei collatam, primatus in verbis « *confirma fratres tuos* » iterum atque iterum declararet. Ex quibus ita concludas oportet: factum Jesu Christi revelantis beatum Petrum esse Vicarium suum successorem per verba « *confirma*

---

(1) S. Lucas, 24.

(2) Cornel. a Lapide, *Comment. in Evangel.*

(3) I, *ad Corinth.*

fratres tuos » quae idem sonant atque rege Ecclesiam meam, manifestat, exhibit, constituit Romano Pontifici ius providendi de successore, quatenus ut Jesus Chr. Beatum Petrum constituit summum Vicarium successorem in bonum Ecclesiae ita Summi Pontifices ius habent etiam in bonum Ecclesiae consulendi successorem.

§ II.

29. – Ratio theologica de iure Romani Pontificis ad constituendum sibi successorem ex constitutione Ecclesiae et ex ipsius Primatus natura eruitur.

Jesus Christus Ecclesiam suam nuncupavit et constituit uti regnum. Divus Doctor Angelicus ita tradit: « Unde « et regnum Dei quasi antonomastice dupliciter dicitur. « Quandoque congregatio eorum, qui per fidem ambulant, « et sic Ecclesia militans regnum Dei dicitur. Quandoque « autem illorum collegium, qui iam in fide stabiliti sunt, « et sic ipsa Ecclesia triumphans regnum Dei dicitur ».[1]

30. – Quae sit huius regni Ecclesiae militantis constitutio, perspicitur ex verbis: « *Regnum meum non est de hoc mundo* ».[2] Ex huiusmodi verbis constitutio Ecclesiae militantis, quae societas supernaturalis est in terris,[3] tanta excellentia et perfectione constitutiones cuiuslibet

---

(1) IV, D. 49.

(2) S. Matth., cap. 27.

(3) Billot, *De Ecclesia Christi*, quaest. 1, thes. 1.

regni societatis civilis antecedit, quanta excellentia et perfectione quidquid immediate de caelo est, antecedit res terrenas seu humanas. Ecclesiae constitutio in sua excellentia et perfectione talis putanda est, qualis putanda est illa opera, quae de caelo est, seu ex consilio Dei: ius autem R. Pontificis providendi de successore in hac constitutione continetur.

31. – Siquidem constitutio Ecclesiae, quippe non de hoc mundo, omnia in se continere debet, quae ipsam Ecclesiam, societatem perfectissimam et excellentissimam exhibent. In hac autem omnimoda perfectione et excellentia ius est etiam R. Pontifici providendi de successore: si enim hoc ius non esset; ipsa Ecclesia naturam, seu constitutionem cuiuslibet regni societatis civilis prae se ferret, in qua communitas, damnato et semper damnando iure rebellionis,[1] ius providendi de successore in regimine habet, quando suprema potestas regens deest, etiam quando deest, quia necessitas boni publici requirit novam guber-

---

(1) Error de populi principatu, vulgo *del popolo sovrano* in eo est, ut auctoritas seu potestas regens in populo, independenter a Deo, resideat. Ex quo nonnulli tamquam legitimum propugnant ius rebellionis ex parte populi. Eiusmodi errorem Summi Pontifices damnaverunt. (Gregorius Papa XVI Bulla « *Mirari* », die 15 augusti 1832; Pius Papa IX in *Syllabo;* Leo Papa XIII Bulla « *Immortale* », die 1 novembris 1885).

nii formam et novam imperantium *investituram*, ut tradit praeclarissimus theologus Cardinalis Billot; potestas quippe quae dicitur constituens, (vulgo *la costituente*) semper penes eamdem communitatem manet.[1] Jesus Christus autem, qui personaliter Simonem Petrum suum Vicarium successorem ad regendam Ecclesiam constituit, implicitam hanc revelationem fecit, tantummodo Romanum Pontificem ius providendi de successore habere.

32. – Vi Primatus Romanus Pontifex omnia agendi ius habet, quae Ecclesiae vitam et incrementum conservare

---

(1) « Quod ius statuendi novam gubernii formam novamque investi-« turam potestatis, semper in communitate est quantum boni publici « necessitas exigit, et quod hac de causa, generatim loquendo, omne gu-« bernium, cui pacifice adhaeret communitas, pro legitimo habendum « sit. Substantia demonstrationis in hoc est, quod ius principatus natura « sua non ordinatur sicut ius proprietatis, ad bonum eius, qui habet prin-« cipatum, sed pure et simpliciter ad bonum societatis in quam exercetur « principatus. Unde statim sequitur iuxta evidens certissimumque legis « naturalis dictamen quod solius boni publici in praesenti ratio habenda « sit, ut si quando haec ipsa boni publici necessitas requirat novam gu-« bernii formam novamque imperantium investituram, nullum praeex-« sistens seu personae, seu familiae ius id valeat prohibere. Sequitur quo-« que, novam hanc legitimi gubernii constitutionem ad eosdem pertinere, « ad quos pertinebat prior, ac per hoc, penes communitatem semper ha-« bitu manere potestatem, (ut aiunt) constituentem, quae tamen non te-« mere et ad libitum in legitimum usum venire aut debeat aut possit, sed « quoties id exposcit supremum criterium boni communis, et tranquilli-« tatis publicae socialis necessitas ». De Ecclesia Christi, quaest. XII.

tuerique debent. Valde in bonum vitae Ecclesiae et in eius incrementum est Summum Pontificem ius de successore habere. Ex vi Primatus proinde ipse de successore ius habet.

33. – Si coniectura, vel hypothesi opinemur, Romani Pontificis successorem a tota Ecclesia, et quae docet et quae discit, constituendum esse, opinari quoque debeamus, R. Pontificem a tota Ecclesia dependentem esse, quia sine concursu, seu sine actione totius Ecclesiae fieri Papa non potest. Ex his Summus Pontifex auctoritas suprema cum plenitudine potestatis esset, quia Jesus Christus huiusmodi auctoritate praeditum eum constituit, et non esset auctoritas cum plenitudine potestatis, quia per actionem totius Ecclesiae ipse constitutus esset. Atqui hac hypothesi absurdum admitteretur de constituendo successore in Romano Pontificatu: vitandi igitur absurdi causa, Romanum Pontificem sibi successorem in Romano Pontificatu praestituendi ius et potestatem habere admittamus, teneamusque oportet.

Cajetanus de Ecclesiae regimine congruentiorem doctrinam ita exponit: « Natura igitur Ecclesiastici regiminis ab « ipsa sua nativitate est, ut sit non in communitate, nec « ut a communitate ad unum vel plures derivetur ».

In hoc regimine de Summo Pontifice haec tenet « non « est Vicarius communitatis Ecclesiae, sed Christi ».[1] Etiam ex doctrina Cardinalis Billot veritas de hoc iure R. Pontificis confirmatur: « In civilibus namque potestas a « Deo originaliter descendens, nonnisi mediante communi- « tate (modo iam dicto) ad eos pervenit, qui exercent prin- « cipatum. Hic autem (designando in perpetuum supremae « potestatis subiectum) nusquam mediat, aut communitas «aut collegium communitatis».[2]

34. – Ex verbis, quae Dominus Noster Jesus Christus in Caesarea Philippi beatissimo Petro, divinitatem eius profitenti, fecit: « *Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam* » Romanus Pontifex pro Ecclesia fundamentum constitutus est. Sed, sicut fundamentum aedificii, quamvis exsistentiam et firmitatem det ipsi aedificio, nihil tamen accipit ab aedificio, ita Summus Pontifex, caput universae Ecclesiae, in vitam eius exsistit, nihil tamen in suprema sua auctoritate ab Ecclesia accipit. Jam vero, si dicimus ius providendi de successore in Sede episcopali romana proprium esse Ecclesiae, et non R. Pontificis, dicere etiam debemus Romanum Ponti-

---

(1) Cajetanus, Tract. 2, *de auctoritate Papae et Concilii*, cap. I.
(2) *De Ecclesia Christi*, quaest. XII.

ficem in suprema auctoritate Primatus aliquid ab Ecclesia accipere, quod contra constitutionem Ecclesiae est: ergo.

35. – Detur hypothesis de nullo iure R. Pontificis ad constituendum sibi successorem. Facta hac hypothesi, dicendum est, omnia iura esse Romano Pontifici, excepto iure providendi de successore; R. Pontifici omnem potestatem absque ulla restrictione datam esse, excepta restrictione quoad potestatem providendi de successore. Atqui nullum ius exceptum est R. Pontifici quoad Primatum suum in universam Ecclesiam, nulla facta est restrictio Potestatis quoad eumdem Primatum: ergo dicendum est Romanum Pontificem ius providendi de successore habere.

36. – Demum: Romano Pontifici tantummodo absoluta et plenissima potestas est, ut in omnibus et singulis episcopalibus sedibus toto orbe terrarum Episcopos constituat, seu de cunctis sedibus episcopalibus provideat; ergo etiam de successore suo, qui Episcopus Romae est, absoluta et plenissima potestas ei inest.

§ III.

37. – Jus providendi de successore in sede Apostolica non confundendum est cum modo providendi: ius tam-

quam divinitus datum considerandum est, quia in primatu continetur, seu exsistit.

Modus autem providendi humanus et variabilis est, et disciplinae ecclesiasticae moderationi subiicitur. Romanus Pontifex, quando modum providendi de successore praescribit, et postea hunc prohibet, et alterum novum servari iubet, iterum atque iterum ius suum providendi de successore confirmat.

Eiusmodi modus providendi quidem eo tendere debet, ut incommoda, quae in humanis fieri solent, praecaveantur, et, si iam exsistunt, damnentur, praecidantur, evellantur. Quemadmodum enim temporum vicissitudines requirunt, ut nonnulla praescribantur, nonnulla vetentur, et nonnulla mutentur, ita modus providendi de successore R. Pontificis requirit, ut illae normae, constitutiones et leges habeantur, quae temporum rationibus hominumque moribus magis aptae sint. Codex Juris Ecclesiastici de hoc modo providendi de successore R. Pontificis validissimum et urgentissimum documentum exhibet: « Vacante Sede Apostolica, illud gravissimum sanctissi-
« mumque est, summum dominici gregis pastorem et caput,
« ad catholicam ecclesiam provide solerterque regendam,
« eligere, qui in beati Petri locum succedens, Christi Jesu
« in terris personam gerat. Quod cum intelligerent romani

« Pontifices decessores nostri, eo quavis aetate vigilem « curam sedulamque cogitationem contulerunt, ut ille « modus et ordo in eligendo adhiberetur, qui rei gravitati « aptius congruentiusque responderet. Qua de causa plures « ex re et tempore ab iis sapientissimae editae sunt leges ut « negotium ipsum rite, legitime expediteque absolveretur: « quas inter principem obtinent locum constitutiones a « Pio IV, Gregorio XV et Clemente XII opportune san- « citae. Verum, decursu aetatum, factum est ut hae de « romano eligendo Pontifice indictae ac promulgatae leges « sensim multiplici varioque numero augerentur: nonnullae « etiam temporum rationibus hominumque moribus mu- « tatis, obsoletae evaderent: ita ut haud exigui laboris « esse videatur discernere quaenam in summo Pastore eli- « gendo servanda sint ».[1]

38. – Modus providendi de successore a b. Petro Principe Apostolorum habitus et in traditione historica acceptus, a nonnullis non admittitur, vel saltem sustineri non posse dicitur: modus in eo fuit ut ipse, adhuc vivens, successorem designaverit et sibi constituerit. De huiusmodi designatione successoris in Romano Pontificatu, facta

---

(1) *Codex Juris canonici*, docum. I.

adhuc in vita a b. Petro, primo Papa, documentum solemniter authenticum, liber Pontificalis Episcoporum Romae exsistit. In hoc libro « Pontificale » tempus Sedis Apostolicae vacantis signatum est: ibi enim legitur per quot dies Sedes ex obitu cuiusque Pontificis vacans fuit, hisce verbis: « *Cessavit Episcopatus eius dies...* ». De omnibus Romanis Pontificibus libro « Pontificale » legitur: « *Cessavit Episcopatus eius...* », de b. Petro autem, primo Romano Pontifice, non legitur, seu non signatur ullus dies, quo Episcopatus eius cessavit.[1]

39. – Potissimae rationes sunt, ex quibus b. Petrus, vivens, de successore providit. Ipse quidem prae oculis haec duo habere debuit: 1° fidem paucis post annis annuntiari in universo mundo ex testimonio divi Pauli Apostoli, et exinde Christifideles in tot tantisque plagis orbis vivere: 2° persecutiones quotidie magis ab imperatoribus decerni atrociores, saevioresque ad perdendos et omnino delendos christianos omnes. His duobus consideratis, ex prudenti consilio, immo ex officio Pastoris, adhuc vivens, de

---

(1) Conf. *Annali storico-polemici degli Apostoli Pietro e Paolo*, vol. II, pag. 304, Torino, 1888, Tipografia Salesiana. « In eadem pagina invenitur qua ratione iuxta Breviarium Romanum et Missale, S. Linus post b. Petrum ponitur ».

successore providere debuit. Controversia est in hoc, quod nonnulli affirmant post divum Petrum S. Linum et S. Cletum, et in tertio loco S. Clementem in sede Primatus successisse, alii affirmant post divum Petrum fuisse successorem in Sede Romana S. Clementem.[1]

---

(1) « *Ex Annal. Eccles. Card. Baronii* « et ad Romanae Ecclesiae statum « describendum redeamus, quam Petri martyrio afflictatam reliquimus. « Verum enimvero ne tam Urbs, quam Orbis Universalis Ecclesiae, summo « truncato capite, pastoreque orbata, destituta penitus remaneret; mox « in locum Petri subrogatus est Linus natione Tuscus, patria Volaterranus: « qui sedit annos undecim, menses duos, dies viginti tres. Sed quoniam « alii tradiderunt post Petrum sedisse Clementem, de his omnibus exactiori « diligentia est nobis agendum. Invaluit penes nonnullos ea sententia, « Linum nequaquam post obitum Petri illi successorem suffectum, Ro- « manae Urbis Episcopum sedisse, sed tantum vivente adhuc Petro, dum « illum Universalis Ecclesiae sollicitudo ab Urbe in diversas christiani « Orbis provincias evocaret, ordinatum esse coadiutorem Episcopum « una cum Cleto; qui ambo simul loco ipsius Petri obirent ecclesiasticas « functiones: Linum vero, urgente Neronis persecutione, martyrio esse « sublatum anno sequenti sub consulatu Capitonis et Rufi. Haec accepta « esse noscuntur ex libro vulgato nomine Damasi de Romanis Pontificibus, « sed a diversis auctoribus (ut verius puto) collecta. Sed in primis accu- « ratius est disquirendum an solida veritate consistant anni Romanorum « Pontificum in eo libro numerari per consules: quantumlibet enim auctor « ignoretur, si in eo veritas nulla ex parte vacillet, maiorem ipsa sibi quo- « vis alio eo nomine vindicat auctoritatem. Equidem tempora adnumerata « per consules libentioribus sunt accipienda auribus, cum caeteris illa « frequentior, liberalior et verior noscatur esse chronographia, atque « in usum frequentiorem accepta, quae a fastis deducta est consularibus. « Certe quidem cum vetera monumenta in antiquis scriptoribus interdum « invenimus esse consulibus consignata, magno afficimur gaudio, perinde

40. – Insuper initium vitae universae Ecclesiae sub ductu divi Petri, necnon turbulentissima tempora et manifestatio iuris Primatus de constituendo sibi successore requirebant, ut hic modus providendi de successore a b. Petro haberetur et non alius. Immediate itaque post

---

« ac si in tenebris oberranti fax aliqua ex optato praefulgeat. Verum sicut « elucidanda nihil his posset accidere opportunius, ita si ab aliquo falso « coniectore, vel impostore commenticii consulatus affingantur, omnia si- « mul confusa ac luce patentia mox obscurissima reddi necesse est. Sed « agendum cuius sint fidei consulatus in Lino positi, videamus. Haec ibi « scripta habentur: fuit autem temporibus Neronis a consulatu Satur- « nini et Scipionis usque ad Capitonem et Rufinum vel Rufum Consules. « Hac habita per Consules ratione, quidnam est quod ab aliis post Petrum « successor ponitur Cletus vel Clemens, cum ex notatis Consulibus, Li- « num constet post Petrum quoque sedisse usque ad nonum Kal. octo- « bris? An duos simul sedisse volunt? aut Linum non sedisse, quem idem « citatus liber sedisse ponit? Sic igitur videas eiusdem scriptionis auctori- « tate ratum haberi post Petrum sedisse Linum, continuantem sedem « suam, qui olim non ut Pontifex sed ut corepiscopus, dum vixit Petrus, « sedere coepit: dicendumque esse ea ratione sedisse Linum saltem annum, « menses duos et dies viginti quatuor... Haec igitur in ipso limine narra- « tionis successionis Romanorum Pontificum volumus posuisse; quo lector « intelligat, libro illi, cum in singulis fere Pontificibus anni notati per « Consules diversi habeantur ab illis, qui in singulorum fronte ipso narra- « tionis exordio habentur adscripti, haud facile innitendum esse, sed illi « potius inhaerendum Romanorum Pontificum chronographiae quae anti- « quiorum scriptorum et Romanae Ecclesiae potissimum testimonio con- « firmatur. Quod igitur ad veteros rerum Ecclesiasticarum scriptores per- « tinet: cum Sanctus Ignatius, qui eodem saeculo vixit cum Apostolis, « dicat Clementem successisse Cleto (sic enim legendum esse pro Ana- « cleto postea demonstrabimus) plane declarat ipsum Clementem tertio

Jesum Christum tu de facto perspicis ius providendi de successore in cathedra episcopali Romana esse unius Summi Pontificis.

41. – Etiam de Sancto Gregorio Papa VII, qui non Romae sed Salerni mortuus est, traditur, ipsum, adhuc viventem, ob turbolentissima tempora de successore providisse. Tam Episcopi enim, quam Cardinales, qui propter

---

« loco, nempe post Linum et Cletum, Romanae Ecclesiae Pontificem prae-
« fuisse. Et cum addit: « cui nunc successit beatissimus Clemens, Petri et
« Pauli auditor » quaenam illa essent tempora, idem his, quae eadem
« epistola superius dixerat, significare videtur, dum ait: " Multorum ad-
« versariorum arbitrio exagitor, partim exsiliis, partim custodiis, partim
« vinculis " haec ipse, qui et in custodia positus, dictam epistolam scripsit
« ad Mariam Cassobolitem, ut idem ibi post multa testatur, sic dicens:
« " Vehementer concupivi venire ad vos, et una vobiscum requiescere et re-
« fici. Verum non est in hominis potestate via eius: impedit enim meam
« voluntatem militaris custodia, quae non permittit ultra progredi. "
« Quibus sane intelligitur (nisi velimus dicere, quod ratio non patitur,
« haec accidisse in ultimis eius vinculis, cum Traiani tempore, ut dicemus,
« Romam vinctus perductus est) sub Domitiano ea contigisse, esse affir-
« mandum. Nam a morte Neronis nulla alia excitata est in Ecclesia perse-
« cutio usque ad Domitianum. Sic igitur ex Ignatii sententia iam explora-
« tum habetur Clementem non ante Domitiani tempora Romanae Ecclesiae
« curam pontificiam suscepisse post Cletum. Caeterum eam epistolam
« Ignatii esse legitimam ex his quae habentur in epistola ab eodem scripta
« ad Heronem diaconum, facile cognosci potest, ubi et de Cassiano suo ho-
« spite, cuius in dicta epistola meminerat, habuit mentionem, ibidemque
« de eadem Maria praeclarum ab eodem Ignatio elogium scribitur. Sed de
« his suo loco pluribus. Rursus vero ex iis, quae ex Hegesippo proximo apo-
« stolorum temporibus Eusebius, in suam historiam transtulisse visus est,

gravissimam infirmitatem Summi Pontificis eo convenerant, scandalum et superbiam antipapae Guiberti, Ecclesiam regere praesumentis, prae oculis habentes, eum rogaverunt, ut successorem sibi constitueret. Servato modo electionis, quem decessores eius de more servaverunt, ipse Cardinalem Desiderium, Abatem Cassinensem commendavit, qui ob tot tantasque calamitates, quibus tunc Ecclesia afflictabatur, aegre Pontificatum Romanum

---

« dum habet anno duodecimo Domitiani Imperatoris Clementem sedere « coepisse, non solum citatum Ignatii testimonium roboratur, sed etiam « manifestissimi erroris redarguuntur, qui eum substitutum fuisse dixe- « runt. His accessit Tertullianus, qui libro tertio Carminum, quae scripsit « in Marcionem, non tantum tertio loco post Petrum ponit Clementem, sed « adhuc etiam quarto, nimirum post Anacletum...

« Ex his itaque tantum abest, ut concedamus post Petrum statim « successisse Clementem, ut non mediocris animum suspicio pulset ex « his, quae habent Ignatius, Tertullianus et ex Hegesippo Eusebius, et « alii, Clementem non tertio loco, sed quarto post Petrum sedisse, ac post « Linum, Cletum, ac etiam Anacletum cui successisse tradunt, sedere coe- « pisse. Verum post Cletum, sed ante Anacletum, esse ponendum verius « esse putamus ».

Multa alia testimonia, quae hic omittuntur, idem Cardinalis Baronius ad rem citat: ex his iterum atque iterum confirmat S. Clementem tertio loco post beatum Petrum sedisse. Denique non absonum censetur referre quidquid de hac controversia cardinalis Josephus Hergenröther, auctor recentissimus historiae Universalis Ecclesiae tradit: « Nel volgere il primo « secolo al secondo, noi troviamo per Vescovo della Chiesa Romana S. Cle- « mente. Giusta il catalogo più antico e assolutamente più accreditato dei « Vescovi di Roma, riferitoci da S. Ireneo, Clemente fu il terzo Vescovo di « Roma dopo la morte degli Apostoli ». Vol. I.

accepit et fuit Victor III: commendavit etiam Othonem et Ugonem.[1]

42. – Sed post S. Linum, S. Cletum et S. Clementem quonam modo Summi Pontifices successerunt in sede divi Petri, non traditur. Tantummodo traditur unumquemque Pontificem successisse, et nihil aliud: haec verba leguntur: « Post martyrium Anacleti, cum Sedes vacasset diebus tredecim, in locum eius est suffectus Evaristus ». Evaristus sepultus iuxta corpus beati Petri VI vel VII Kal. novembris. Successit Evaristo Alexander Romanus. Cessavit Episcopatus eius, ac subrogatus est in locum eius Xystus. In his et aliis eiusmodi successionibus nullum verbum de modo, quo unusquisque successit, factum est: ita ex Annalibus Cardinalis Baronii (Tom. I). Cum S. Fabianus ad Cathedram divi Petri evectus est, ab eodem Baronio haec tradita sunt: « Cum omnes fratres causa « deligendi eius, qui Episcopatum gereret, in Ecclesia « convenissent, et multi de multis illustribus et prae- « claris viris ad munus illud obeundum idoneis, cogita- « rent, quamquam Fabianus, qui tum forte praesto erat, « nemini in mentem venerat, de repente tamen columbam... « eius capiti insedisse memorant ». Itaque notitia histo-

(1) Storia Ecc. abate Berault-Bercastel-Hergenröther: St. Univ.

rica, qua constat fratres ad eligendum Pontificem Cathedrae divi Petri convenisse, ex electione Pontificis S. Fabiani est.

43. – Anno autem 244 modus providendi de successore in Sede divi Petri magis magisque determinatus historice traditur. Ad confringendam impietatem schismatici Novati a Clero et populo romano Summus Pontifex Cornelius electus est, contra quem paulo post Novatianus, malis artibus Novati usus, primus Antipapa impius insurrexit. (1)

Mos huiusmodi eligendi Summum Pontificem per clerum et populum romanum, qui mos vere modus providendi de successore in sede divi Petri fuit, multis saeculis in posterum servatus est. Verumtamen etiam in hoc modo

(1) *Ex Annalibus Ecclesiasticis Cardinalis Baronii Sorani*: « Cum haec « in Africa agerentur, Novatus, qui semel per suos cathedram contra « cathedram diro schismate collocarat, quo infelicia germina in transma- « rinam quoque Ecclesiam propagaret, Romam se contulit, ut nactus « occasionem vacantis Sedis, eam Ecclesiam dolis atque insidiis appetere « aggrederetur: conaturus in primis aliquos sibi communicatores conciliare, « sicque plurimos decipere ac denique omni studio eniti, ut aliquem ex « iis, quos sibi conciliasset et quem a suis partibus se stare sciret, in sedem « evehendum Pontificiam procuraret, ac proinde sic conflatum schisma « consolidaret: hacque arte sedi Cypriani, tamquam hominis foris stantis, « negotium facesseret, insidiareturque. Tanti igitur sceleris ipse primarius « architectus ad componendos dolos ac fallacias construendas peritissimos « secum duxit artifices. Sed praeter sententiam accidit, ut citius quam « putaret, Cornelius Pontifex crearetur ».

ius Romani Pontificis ad constituendum sibi successorem iuxta illud « qui tacet, consentire videtur »,[1] servatum est. Hoc ius ex eo manifestum est, quod Romani Pontifices postea prohibuerunt, quominus successor a clero et populo romano eligeretur.

44. – Revera Romani Pontifices, consideratis tot tantisque incommodis ex modo eligendi successorem per clerum et populum romanum derivantibus, videlicet antipapis[2] pene semper simoniace insurgentibus, hunc mo-

---

(1) « De sententia « qui tacet, consentire videtur » « haec notanda sunt. « Taciturnitas per se neque consensum neque dissensum significat, quare « in particulari casu ex adiunctis alterutrum colligi debet. *a*) Tacens con- « sentire censetur in favorabilibus, ubi nempe de eius favore et commodo, « non autem in odiosis ubi agitur de eius gravamine et praeiudicio; hinc « qui, alio quidpiam sibi promittente, tacet, consentire videtur. *b*) Tacens « etiam consentire censetur *in odiosis*, si nolens consentire contradicere « deberet et posset. Qui praesente et non contradicente domino rem au- « fert, non committit furtum, quia dominus consentire censetur. Et si « princeps vel superior sciat aliquid fieri contra ordinem nec contradicat, « consentire censetur, si impedire posset ». Noldin: de act. humanis.

(2) Post primum antipapam Novatianum multi alii antipapae fuerunt, quorum obitus tantummodo hic signatur. Antipapa Laurentius mortuus est 478; Dioscorus mortuus est anno 530; Vigilius, qui primum antipapa fuit, sed, mortuo Papa Silverio, legitime ei successit; Paschalis mortuus est 687; Theodorus mortuus est eodem anno 687; Theophylactus anno 757; Constantinus mortuus est eodem anno 757; Zizimus anno 824; Anastasius 855; Sergius mortuus est 891; Christophorus anno 904; Franco, nuncupatus Bonifacius VII mortuus est 973; Philogatus, nuncupatus

dum eligendi Summum Pontificem prohibuerunt, et auctoritate propria praeceperunt, ut in posterum alius modus providendi de successore, Sede vacante, servaretur.

45. – Omnes, qui societati praesunt ad eam regendam, quando circa aliquid unum prohibent, et alterum praecipiunt, ius quidem suum prae se ferunt. Atqui Romani Pontifices circa electionem successoris sui modum per clerum et populum romanum prohibuerunt et alterum modum praescripserunt: ergo Romani Pontifices ius suum circa electionem successoris ostenderunt. Jus igitur de successore in Sede vacante unius R. Pontificis est. Sta-

---

Joannes XVI, mortuus est 997; Gregorius mortuus 1012; Joannes; dictus Silvester III, mortuus 1044; Benedictus X mortuus est 1058; Cadalous dictus Honorius II, mortuus 1064; Guibertus, dictus Clemens III, mortuus 1080; alius Guibertus mortuus 1100; Albertus mortuus 1100; Laurentius mortuus 1100; Theodoricus mortuus 1100; Maginulphus, nuncupatus Silvester IV, mortuus est 1100; Martinus Bordino, dictus Gregorius VIII mortuus est 1118; Petrus de Leone, nuncupatus Anacletus, mortuus est 1130; Gregorius, nuncupatus Victor, obiit 1138; Octavianus, nuncupatus Victor III, 1159; Guidus a Crema, nuncupatus Paschalis III, obiit 1164; Joannes ex Strum, nuncupatus Calistus, obiit 1168; Landus Sitinus, nuncupatus Innocentius III, 1178; Petrus de Corbier obiit 1328: Clemens VII electus die 21 septembris 1378, obiit die 26 septembris 1394; Benedictus XIII, electus die 28 septembris 1394, depositus est die 4 julii 1409; Clemens VIII electus sed non recognitus; Felix V fuit antipapa ab anno 1440 usque ad annum 1449. (*Ex historia Eccles.* di Berault-Bercastel).

tim ac autem prohibitum est, ne a clero et populo romano suffragia de successore in Cathedra divi Petri amplius darentur, nulla opposita difficultate et mora, mos, qui multis ante saeculis invaluit, cessavit.

46. – Sed undenam et quanam ratione mos huiusmodi electionis inchoari potuerit, congruum significari videtur. De initio modi eligendi Pontificem successorem in Sede episcopali vacante divi Petri per clerum et populum romanum, ex quo plurimi antipapae simoniace insurrexerunt (quam facillime simonia, quando in negotiis divino-ecclesiasticis populi suffragia requiruntur) duae hypotheses admitti posse videntur. Clero et populo ius prorsus nullum habentibus instituendi morem electionis Ponficis, admittatur oportet, vel Summos Pontifices et S. Evaristum primum, antequam obirent, ut ipsi de successore providerent, dixisse: vacante Sede, a clero, aut a clero et populo successor eligatur; adeo ut is, qui maiorem numerum suffragiorum obtinuerit, sit vere successor Summus Pontifex; (in hoc casu quidem ius providendi unius Pontificis est: et modus designandi subiectum potestatis habetur per concessionem formalem et expressam) vel Pontifices, antequam obirent, nihil dixisse de successore: in hoc casu per clerum et populum romanum Pontifex

successor electus est ex concessione voluntarii praesumpti, aut voluntarii interpretativi Pontificis, qui obiit. Clerus enim et populus, vel clerus tantummodo in primordiis post S. Evaristum merito arbitratus est, si Pontifex consentire posset, ipsum ob convenientiam, seu potius ob necessitatem rei assensurum esse: in huiusmodi assensu ex voluntario praesumpto, vel interpretativo, ius semper unius Pontificis est.[1]

47. – Verumtamen ius R. Pontificis magis enitens et manifestum fuit, et inconvenientia, praesertim de multis antipapis, non fuerunt tam frequenter, cum normae, statuta, constitutiones et leges de modo successorem constituendi, Sede Apostolica vacante, a Romanis Pontificibus opportuniores latae sunt. In praesentiarum ius Romani Pontificis ad constituendum sibi successorem valde manifestum est. Bullae enim recentiores, Leonis Pa-

(1) « A voluntario tacito distinguendum est voluntarium *praesumptum*, « quod habetur, quando reipsa nullus adest actus seu consensus voluntatis, « vel ob convenientiam rei adesse supponitur: si enim res proponeretur, « sine dubio consensus reipsa adesset, ut si quis adolescentulo ingredienti « cauponam ex praesumpto consensu patris dicat: pater vult ut domum « redeas ». Noldin, *de act. hum.* « Interpretativum nuncupatur, si neque physice, neque moraliter est habitum, sed prudenter praesumi potest, et haberetur, si de eo cogitaretur aut cogitari posset ». (Gury, *Compendium Theologiae Moralis: de actibus humanis*).

pae XIII « *Praedecessores nostri* » et Pii Papae X « *Vacante Sede Apostolica* » quae aliorum Pontificum praedecessorum Bullas editas, vel memorant, vel vigentes declarant, et modum summopere determinatum et per regulas taxativas perspicuum exhibent; ita ut concessionem privilegii[1] providendi de successore, Sacro Collegio Cardinalium factam, vere et sapienter formalem contineant.[2]

Jus itaque R. Pontificis de successore in praesentiarum de facto adeo perspicuum est, ut universa Ecclesia illud non tantum admittat, sed dici possit illud quadam veneratione ipsam excipere. In Conclavi reapse modus eligendi per regulas statutas magna cum pietate servatur. In his quidem ius R. Pontificis de facto manifestissimum est.

48. – Quodlibet enim ius semper de facto admittitur, semper de facto manifestissimum est, quando regulae ad illius existentiam servantur. Atqui regulae ad existen-

---

(1) Ex primo commate canonis 63 Codicis Iuris Canonici privilegium per concessionem auctoritatis competentis haberi traditur. Canon 63 ita se habet: « Privilegia acquiri possunt non solum per directam concessionem « competentis auctoritatis et per communicationem, sed etiam per legitimam « consuetudinem aut praescriptionem ».

(2) *Codex Juris Can.*, docum. I et II.

tiam iuris R. Pontificis de successore servantur: ergo ius R. Pontificis quoad successorem de facto admittitur, de facto manifestissimum est.

Enucleatur minor. Regulae ad existentiam iuris de successore nihil aliud significant, nisi concessionem privilegii R. Pontificis ad constituendum successorem: in qualibet autem concessione privilegii, semper ius proprium est concedentis: ius igitur ad constituendum successorem in Sede Apostolica proprium est R. Pontificis.

49. – Canon 160 recentissimi Codicis Juris Canonici vigentis haec de electione Pontificis tradit: « Romani Pon-« tificis electio unice regitur Constitutione Pii Papae X « *Vacante Sede Apostolica*, die 25 decembris 1904 ».

Benedictus Papa XV, feliciter regnans, qui per Bullam « *Providentissima Mater Ecclesia* » die festo Pentecostes 1917, omnes et singulos Codicis Juris Canonici canones, ut leges urgentes, ab universa Ecclesia servandos tradit, usus his verbis « praesentem Codicem, sic ut di-« gestus est, promulgamus, vim legis posthac habere pro « Universa Ecclesia decernimus, iubemus » legem de successore in Pontificatu Romano illius canonis 160 servandam esse tradit, quippe qui modum disciplinarem in Constitutione Pii X praescriptum admittit et retinet. Atqui

in constitutione dum modus de successore eligendo traditur, vera concessio privilegii facta est; ergo Benedictus Papa XV per canonem 160 concedit privilegium de eligendo successore: ius suum igitur providendi de successore sancit, quia is, qui concedit, ius habet concedendi.

50. – Sed hisce argumentis allatis appositam doctrinam Romani Pontifices tradere videntur: per Constitutiones enim haec declaraverunt: « Jus iamdiu firmatum « et praescriptum eligendi Romanum Pontificem succes- « sorem nostrum ad Sanctae Romanae Ecclesiae Cardi- « nales unice et privative pertinere declaramus, et edi- « cimus ».[1]

« Jus eligendi Romanum Pontificem ad S. R. E. Car- « dinales unice et privative pertinet, excluso prorsus atque « remoto quolibet cuiuspiam alterius Ecclesiasticae di- « gnitatis aut laicae potestatis cuiuslibet gradus et or- « dinis interventu ».[2]

Vere longe sapientissimae declarationes. Sacro Collegio, quod in Ecclesia, maximo circumdatum splendore,

---

(1) *Codex Juris Can.*, docum III: Constit. Leonis Papae XIII « *Praedecessores nostri* ».

(2) *Codex Juris Can.*, docum. I: Constit. Pii Papae X « *Vacante Sede Apostolica* ».

Summo Pontifici in rebus gerendis dat operam et assistit, privilegium eligendi successorem ipsi, et non aliis concessum esse congruum est.

Cum autem privilegium conceditur, ius quidem, quod alii non habent, conceditur: sed semper concessio est, quae in suo conceptu, seu in se significat, concedentem dare alicui id, quod ad se pertinet: in hoc facto de electione id conceditur a Summo Pontifice, ut modus, seu leges statutae a Sacro Collegio serventur; in his privilegium Sacro Collegio conceditur.

Romani Pontifices autem utentes verbis « *unice et privative ad Cardinales pertinere* » magis atque magis declarant, omnes in Ecclesia a privilegio iuris electionis successoris in Pontificatu Romano excludi, et ad Sacrum Collegium tantummodo pertinere.

51. – Demum veritatem de concessione privilegii in eligendo successore Summi Pontificis hoc argumento confirmare iuvat. Certissima concessio habenda est, cum homo concedens hanc a se factam esse declarat. Atqui Summus Pontifex Leo Papa XIII ius electionis successoris in Pontificatu Romano a se concessum esse declarat; ergo ius electionis R. Pontificis concessio est: quae concessio privilegium est.

Enucleatur minor.

Summus Pontifex Leo XIII in Constitutione « *Praedecessores nostri* » haec tradit: « Etsi amplam facultatem « Collegio Cardinalium concesserimus, praesertim quoad « tempus et quoad locum electionis... ».

Per verba « praesertim quoad tempus et locum electionis » significatur, concessionem amplam factam esse de tempore et loco electionis; de iure electionis concessio etiam facta est.

52. – Ad summam perspicuitatem de his, quae disserta sunt, hoc animadvertas oportet, a Summo Pontifice ius providendi de successore, quod proprium est unius suae supremae plenitudinis potestatis, in concessione non transmitti; tantum ipse utitur modo providendi per alium, iuxta illud « qui per alium facit, per seipsum facere videtur ». Si in concessione aliquid trasmittitur, in concessione eligendi Pontificem successorem trasmittitur modus eligendi, qui variabilis et humanus est. In concessionis privilegio Summus Pontifex implicite dicit: ego in iure meo providendi de successore non eligam personaliter, sed per vos eum eligam, in quo maior numerus suffragiorum vestrorum collectus fuerit.

53. – Nonnulli theologi in successione Romanorum Pontificum ad regendam Ecclesiam ius divinum et ius

ecclesiasticum admittunt: ex iure divino Summus Pontifex in primatu succedit, aiunt, ex iure ecclesiastico in episcopatu Romano, cui inseparabiliter ipse Primatus inhaerens est.[1]

Jus ecclesiasticum ad modum providendi de successore spectare satis superque constat, quia per leges disciplinares modus eiusmodi unice regitur, et per hunc (ita ex Constitutionibus Pii Papae X et Leonis Papae XIII) individua persona eligitur, quae in Sede seu in episcopatu romano succedit.[2]

Quidnam aliud reapse est ius ecclesiasticum de successione R. Pontificis, nisi canon 160, quo declaratur electionem R. Pontificis unice regi ex Bulla Pii X « *Vacante Sede Apostolica?* » Atqui hoc ius ecclesiasticum est ius unius R. Pontificis, ut supra dictum est; ergo unius R. Pontificis ius de electione successoris est, quod ut privilegium, merito, Sacro Collegio ipse concedit. Praeclarus theologus Perrone haec tradit: « Successio in Petri Sedem uti con-« ditio solum se tenet ad successionem in eius Primatum, « qui cum ex Christi institutione, quod ostendimus, per-

---

(1) PERRONE, *De Romano Pontifice*, n. 571.

(2) Vocabulum « modus » in constitutione Pii X « *Vacante Sede Apostolica* » est et per hunc modum quas leges, quas regulas in electione R. Pontificis servandas esse significatur.

« petuus in Ecclesia sit, et alligatus Personae Petri, fit, « ut qui Petro in Episcopatu succedit, hoc ipso in eius « Primatum ex Christi dispositione succedit ». In notis autem idem auctor haec addit: « Romani scilicet Ponti- « fices, mediante episcopatu romano, potiuntur Primatu, « qui nunc inseparabilis est ».

Cum itaque Primatus inseparabilis sit ab episcopatu romano, etiam ex hoc inferendum est unius Summi Pontificis ius de successore esse, quia ipse de successione in episcopatu romano ius habet (n. 36 in hac eadem thesi). [1]

54. - Consensus etiam universae Ecclesiae solemnem confirmationem veritatis de iure Summi Pontificis ad

---

(1) De Doctrina theologorum, Perrone et praeclarissimi Card. Billot, quoad successionem in Sede episcopali romana, nonnulla animadvertere iuvat. Perrone tradit: « Successio in Petri Sede, uti conditio se tenet ad « successionem in eius Primatum ». De Romano Pontifice, n. 571. Praeclarissimus Billot autem, memoratam conditionem Perrone innuens, doctrinam de eadem conditione ampliori ratione tractat et exhibet. « Hic autem « (in forma regiminis ecclesiastici) nusquam mediat aut communitas aut « collegium communitatis. Si quando enim habeat intervenire, id erit ad « inducendum in particulari conditionem, cum qua ius divinum, ipsumque « solum, coniunxit supremam potestatem, minime vero ad causandum « ipsam alligationem potestatis cum praefata conditione ». De Eccl. Quaest. XII. Conditio, tam a Perrone quam a praeclarissimo Billot significata, nempe prae oculis habita, successio est in episcopatu romano, seu n sede divi Petri. Ad eiusmodi autem successionis electionem Collegium

sibi constituendum successorem exhibet. Nulla difficultas, nullum obstaculum unquam in universa Ecclesia est, quin leges latae ad rite procedendum in electione Summi Pontificis serventur. Quas leges Ecclesia docens et discens putat esse adimplendas: ius electionis Pontificis, ut privilegium Sacro Collegio concessum omnes ad unum de universa Ecclesia retinent, et ad illud in conscientia agnoscendum sese urgeri fatentur.

Ex consensu igitur universae Ecclesiae, quippe quae concessionem de electione successoris in romano Pontificatu, uti privilegium, Sacro Collegio factam maxima cum veneratione excipit, et retinet, ius R. Pontificis de successore confirmatur. Concludendum est igitur, unum Romanum Pontificem ius providendi de successore habere.

---

communitatis iuxta verba praeclarissimi Billot *habet intervenire:* id tamen Collegium peragit ex privilegii concessione Romani Pontificis.

Verumtamen in ultimo hoc animadvertendum esse videtur: si verba Jesu Christi in Apostolos « *ego elegi vos,* Joan, cap. XV, perpenderis, sententia de iure ecclesiastico pro electione episcopi in Sede romana nullo fundamento inniti dicenda est. Ex his enim verbis electio episcoporum iuris divini est. Etiam electio Episcopi Sedis divi Petri iuris divini est.

OBIECTIONES.

1ª – Romano Pontifice ius providendi de successore habente, necesse est, ut haec tradantur: Suprema R. Pontificis auctoritas supremam ipsius auctoritatem constituit, nempe ens seipsum producit: quae omnia quidem repugnant: ergo R. Pontifex ius providendi de successore non habet.

R. Nego antecedens et proinde etiam consequens. Suprema auctoritas divinitus instituta est: a Jesu Christo

---

ANIMADVERSIONES.

Theologo, valde aestimando,[1] qui nonnulla de thesibus praecedentis editionis non admittenda esse censet iuxta auctores Wernz et Bouix, haec subiicienda esse puto, nisi fallor. Sententia Wernz ad modum electionis successoris, factae ab ipso Pontifice vivente, spectat. Sed eiusmodi sententia, etsi ab auctore probabilior habita, ius R. Pontificis providendi de successore admittit. Wernz enim innuens *ad casum verae et extraordina-*

---

(1) *Civiltà Cattolica*, 16 novembre 1918.

ad regendam Ecclesiam suam Simon Petrus constitutus est, et successores Summi Pontifices, eamdem auctoritatem in eodem munere sibi vindicantes, eamdem divinam institutionem prae se ferunt.

Romanus Pontifex itaque successorem designando designat subiectum illius plenitudinis potestatis, quam Jesus Christus beato Petro contulit ad vitam suae Ecclesiae iugiter immutabilem servandam usque ad consummationem saeculi, quia Ecclesia regnum eius est, et *regni eius non erit finis*. Repugnantia exinde nullatenus perspicitur; quia supremam auctoritatem Pontificatus Christus instituit, et non ipse Pontifex.

---

riae necessitatis vel utilitatis Ecclesiae, in quo R. Pontifex vivens successorem designandi ius habet, ius quidem R. Pontificis providendi de successore admittit.

« Quanto al diritto di designare la persona del successore, « sebbene non debba escludersi dalla pienezza della potestà « del Vicario di Gesù Cristo, mentre egli vive (*iuxta probabiliorem « sententiam saltem in casu verae et extraordinariae necessitatis « vel utilitas Ecclesiae*. Wernz, *Jus Decret.* II, n. 517) pure esso « appartiene evidentemente alla autorità della Chiesa stessa ».[1] (v. Bouix, *De Curia Rom.*, p. I, c. X, § 1).

---

(1) *Civiltà Cattolica*, ibidem.

2ª In forma democratica regiminis nunquam ius de successore ad individuam personam pertinet, sed ad communitatem, per quam successor in regimine renuntiatur. Atqui forma regiminis Ecclesiae democratica est; ergo ius de successore non ad individuam personam R. Pontificis, sed ad universam Ecclesiam spectat: ergo unus R. Pontifex ius providendi de successore non habet.

R. Nego, minorem. Praeclarissimus theologus Car. Billot non solum aliorum theologorum doctrinam exponit, qui unanimiter formam regiminis Ecclesiae esse monarchicam et aliquo modo, ob auctoritatem Episcoporum divinitus institutam, cum aristocratia temperatam tradunt, sed etiam merito hanc formam regiminis Ecclesiae esse *monarchicam sui generis* probat. (1)

Probabiliorismus eius non de iure, sed de modo providendi est: ius ipsi indiscutibile esse videtur. In casu necessitatis vel utilitatis Ecclesiae ipse tradit Summum Pontificem, quoad electionem successoris, non ad modum, servandum post mortem per leges, sese conformare posse, sed ad modum electionis ab ipsomet vivente factae. Sententia Bouix, qui ius designandi successorem in Pontificatu romano non ad Summum Pontificem, sed ad auctoritatem totius Ecclesiae pertinere autumat, admitti

(1) Ibidem *de monarchia Eccl.*, in b. Petro.

Bellarminus formam regiminis Ecclesiae non solum monarchicam cum aristocratia temperatam esse autumat, sed etiam esse democraticam, quatenus pars eorum, qui sacro ministerio sacerdotali sese dicant, originem e populo ducunt, et ex his plerique ad sublimes hierarchiae gradus evehuntur.

3ª In plerisque vacationibus Sedis Apostolicae, praesertim quando Summi Pontifices eo infausto tempore diem supremum obiverunt, quo Avinione ipsi morati sunt, et non unus antipapa, sed etiam duo simul sese constituerunt, ius R. Pontificis de successore nulla prorsus ratione apparet. Ergo Romani Pontificis ius de successore minime certum est.

---

non potest. Non exhibeo auctoritatem theologorum, qui praestantissimi sunt, et qui nunquam doctrinam de potestate totius Ecclesiae ad constituendum successorem in Pontificatu romano tradunt, sed unius praestantissimi Cardinalis Billot auctoritatem cito.

« Porro forma gubernii nequaquam hic relicta determina-
« tioni communitatis, sed a solo principe Ecclesiae Jesu Christo
« ortum habet. Quod sane intelligas, velim, de forma non solum
« in confuso, velut si tantum instituisset Christus, ut Ecclesia
« regimen foret v. g. monarchicum potius quam aristocraticum,

R. Distinguo antecedens et nego consequens. Quando in vacationibus Sedis Apostolicae ad providendum de successore modus, etsi ex more tacite adprobatus, non servatus est, ut accidit in electionibus eorum, qui sese antipapas constituerunt, ius de successore non apparet, quia Summi Pontificis electio in antipapis non fuit.

Quando autem modus a Summo Pontifice adprobatus ad successorem sibi constituendum servatus est, tunc electio legitima R. Pontificis rite facta est, et ius providendi de successore apparet, immo manifestissimum est.

4ª Antipapae in Ecclesia fuerunt, ut ex historia constat, quia in Ecclesia ius R. Pontificis providendi de suc-

---

« aut democraticum, sed omnino in individuo, quatenus regimen « ordinavit ipsemet per omnem iuncturam subministrationis, « designando etiam in perpetuum supremae auctoritatis su- « biectum, a quo tamquam a capite Vicario omnis inferior pote- « stas derivaret ». Inferius idem auctor haec habet: « Quare po- « testas ibi via prorsus directa, a Deo in Christo, a Christo in « eius vicarium, a Christi vicario in caeteros quosvis praesules « descendit, nulla alia prorsus, sive physica, sive morali in ra- « tione causae mediae se habente ».(1)

---

(1) *De Eccl.*, quaest. XIII: « de monarchia in b. Petro instituta ».

cessore non fuit. Ergo R. Pontifex ius ad constituendum sibi successorem non habet.

R. Conceditur antipapas fuisse, sed negatur in Ecclesia ius de successore non fuisse. Causa, ex qua antipapae exstiterunt, fuit ambitio, cupido dominandi. Ipsi enim malis artibus usi, ut cleri et populi suffragia colligerent, per dolum et simoniam sese constituerunt pseudopontifices, et Summo Pontifici, legitimo successori divi Petri, adversati sunt. In Ecclesia ius providendi legitime de successore fuit, sed ipsi animo nequiori illud non servaverunt; immo illud violaverunt. Certo nunquam quodlibet ius cessat, vel illud non esse censetur, ex eo quod nequior animus ius illud contendit, spernit, et non admittit.

Potissima ratio, ob quam sententia Bouix admitti non potest, ex his eruitur, quae supra probata sunt (§ 2, n. 31). Sed fortasse dices: sententia Bouix est eadem ac sententia theologorum, qui electionem ad episcopatum, seu sedem episcopalem romanam propriam esse tradunt auctoritatis Ecclesiae, nempe esse iuris ecclesiastici.

Ex ipsissima autem sententia theologorum (Perrone: de R. Pont. 571) admittitur, primatum, qui est iuris divini, inseparabilem esse ab episcopatu romano, seu, Sede episcopali romana divi Petri. Romanus Pontifex, qui primatum habet iure divino, episcopatum eodem iure habet, quippe qui a Primatu insepara-

5ª Jus habente R. Pontifice providendi de successore, necesse est, ut nepotismus exsistat, et ipse Pontifex sibi constituere successorem consanguineum licite possit, quia ex vi nepotismi Summi Pontifices consanguineos vel exaltaverunt, vel divitiis et muniis auxerunt. Atqui nepotismus admitti non potest, et exinde Summus Pontifex consanguineum successorem constituere non potest: ergo Summus Pontifex ius de successore non habet.

R. Nego maiorem. Romano Pontifice ius de successore habente, necesse est ut bonum universae Ecclesiae exsistat, bonum fidei, bonum disciplinae, et nunquam nepotismus. Nonnulli Romani Pontifices, ut ex historia compertum est, consanguineos exaltaverunt, et divitiis auxerunt: id quidem factum est ex infirmitate eorum animi.

---

bilis est. Revera ipse b. Petro succedit: atqui b. Petrus a Jesu Christo, nempe iure divino, primatum et episcopatum accepit: ergo R. Pontifex iure divino primatum et episcopatum accipit.

Ius ecclesiasticum in successione R. Pontificis ad privilegii concessionem reducitur, qua olim Clerus et populus romanus utebantur, deinceps et in praesentiarum Sacrum Collegium: quae concessio per leges ecclesiasticas, seu disciplinares, unice regitur ad designandam individuam personam succedentem in sede Apostolica vacante. Memoratus theologus, ea omnia, quae

Minor enucleatur. Nepotismum admitti non posse conceditur, et Summus Pontifex censendus esset imprudens non animo recto agens, si hunc foveret: minime autem censendum est ei ius non esse, si consanguineum successorem constitueret: paucis verbis expediam: certo R. Pontifex, generatim in se re perspecta, licite non potest consanguineum successorem designare, quando sunt rationes, quae id facere vetant, et rationes pene semper sunt: si id faceret, illicite seu imprudenter ageret. Sed, perspecta re, quoad validitatem, si id faceret, valide ageret, quia iure suo uteretur. De Summis Pontificibus, Clemente VI, Callisto III, Xisto IV, et Alexandro VI traditum est ab historiographis ecclesiasticis, ipsos nimio affectu et culpabili nepotismo insimulatos esse: immo Alexandrum VI etiam nonnulla alia crimina perpetratum esse traditur: qui

---

in praecedenti editione, cui titulus « *Theses de Primatu R. Pontificis, Sede vacante* » non admittere autumat, per hanc lucubrationem, utiliori ponderatione, tractata, seu expensa esse perspicit, et animadvertere potest, ad successorem legitime constitutum in sede Apostolica vacante, iure et merito spectare quidquid a Concilio Vaticano tradere intenditur per verba « quicumque in hac cathedra Petro succedit, is secundum Chri- « sti ipsius institutionem Primatum Petri in universam Eccle- « siam obtinet ».

tamen de veritatibus fidei et morum semper firmiter doctrinam tenuit et docuit, adeo ut de eo sententia Jesu Christi: « *Ego pro te rogavi, ut non deficiat fides tua* » [1] solemnius adimpleta fuerit. [2]

6ª Is, qui delegatus est, delegare non potest. Atqui R. Pontifex ad regendam Ecclesiam delegatus est: ergo successorem ad regendam Ecclesiam eligere non potest, quia in hoc actum subdelegationis perageret.

R. Enucleatur maior. Is, qui iurisdictione mere delegata auctus est, subdelegare non potest: qui autem ordinaria iurisdictione vel delegata ad universa negotia auctus est, subdelegare potest. Ad rem nostram vero nego minorem. Romanus Pontifex Jesu Christi Vicarius est, qui ad universam Ecclesiam suam regendam constitutus est et non delegatus. Nunquam vero totius Ecclesiae delegatus dicendus est, et haberi potest, tum quia Primatum a Jesu Christo, et non ab Ecclesia, accepit, tum quia caput seu Princeps eius est.

7ª Si Papa posset eligere sibi successorem in Primatu, posset, adhuc vivens, resignare Pontificatum alteri sibi

---

(1) S. Lucas.

(2) Hergenröther, *Storia Univ. della Chiesa*, vol. V.

bene viso ecclesiastico qui regat Ecclesiam vice eius. Atqui absurdum est Papam alteri ecclesiastico sibi bene viso pontificatum resignare posse: ergo etiam absurdum est, ipsum de successore ius habere.

R. Maior declaratur.

Nulla prorsus dubitatio de iure R. Pontificis, quod habet, ut Pontificatum renuntiare possit. Id per novissimum Codicem Juris Canonici solemnius declaratum est. [1] « Si contingat, ut Romanus Pontifex renuntiet, ad eiusdem « renuntiationis validitatem non est necessaria Cardina- « lium aliorumve acceptatio ».

Ex historia id etiam confirmatur. Papa Sanctus Caelestinus V valide et licite pontificatum renuntiavit. Sed negatur renuntiationem a R. Pontifice fieri posse ecclesiastico bene sibi viso, utpote qui nepotismi renovationem foveret, quem illicitum esse iam declaratum est. Pontificatum ex iure divino ipse habet, et ob hanc rationem, uti in canone supra transcripto declaratur, nunquam acceptatio Cardinalium aliorumve necessaria est. Renuntiante Summo Pontifice pontificatum, successor eius nunquam habendus est tamquam ecclesiasticus bene visus, si idem Pontifex renuntians ob gravissimas rationes

(1) Canon 221.

(iuxta Wernz in casu extraordinariae necessitatis vel utilitatis Ecclesiae) personaliter eum ad regendam Ecclesiam constituit, quia successor ex iure divino Pontificatum habet: modus autem ad succedendum est electio facta ab ipso Pontifice vivente. Ex his omnibus itaque, quae declarata sunt, minime absurdum putandum est, quod in minore asseritur, neque consequentia seu illatio admittenda est.

8ª In Caesarea Philippi Jesus Christus b. Petro dixit: « *Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam* ». Ex illa hora, qua conversus flevit Petrus, ipse Jesus declaravit per eum fratres suos confirmandos fuisse. Post resurrectionem etiam b. Petro dixit: « *pasce agnos meos, pasce oves meas* ». De potestate ferendi leges et ligandi et absolvendi etiam apertissima verba fecit. « *Quaecumque ligaveris super terram, erunt ligata et in caelo* ». De iure autem ad constituendum sibi successorem nullum verbum b. Petro factum esse ex Evangelio constat. Ergo b. Petrus, et proinde R. Pontifex, nullum ius providendi de successore habet.

R. Antecedens in sensu declarando conceditur: consequens negatur.

Jesus Christus per omnia verba supra allata beato Petro plenitudinem potestatis ad regendam Ecclesiam promisit

et contulit: in hac autem plenitudine potestatis ius providendi de successore continetur: nunquam hoc ius ab illa potestate excludi potest, quia si potestas absoluta et plena est, etiam ad ius istud sese extendit, alioquin potestas plena non esset. Minime vero necesse fuit, ut hoc ius apertissime in Evangelio memoraretur. Is, qui vel thesauro, vel haereditate a legitimo domino auctus est, in ipso facto iuris thesauri vel haereditatis etiam ius providendi habet, ut thesaurus vel haereditas servetur.

9ª Olim a populo Episcopi eligebantur ad succedendum in sedibus episcopalibus vacantibus. Ergo etiam a populo Summus Pontifex eligi potest ad succedendum in Sede Apostolica vacante, quia Romae Episcopus est, et proinde ius ipse providendi de successore non habet.

R. Distinguo antecedens. Olim a populo episcopi hoc sensu eligebantur, ut populus testimonium manifestaret bonum de aestimatione, quae de ipsis et de eorum vita haberetur, concedo: eligebantur episcopi a populo, tamquam ab auctoritate constituente, ut in episcopalibus sedibus succederent, nego.

Divus Paulus Apostolus permultis virtutibus episcopum ornatum esse debere dicit, et, *ne in opprobrium incidat, et in laqueum diaboli, oportet illum et testimonium habere*

bonum ab iis, qui foris sunt. (1) Summi Pontifices ex hisce verbis divi Pauli opportunum id iudicaverunt, ut in electione Episcoporum, quam ipsi ad sedes episcopales faciebant, populus testimonium manifestaret bonum de aestimatione in eligendum episcopum.

In eiusmodi autem testimonio ad succedendum in sedibus vacantibus nullum ius ex parte populi erat: totum ius de successione ad providendum sedi tantummodo Summi Pontificis erat. Episcopi sunt ex iure divino in Ecclesia. « *Ego elegi vos de mundo*, ait Jesus Christus, *ut fructum afferatis* ». (2)

Summus Pontifex, qui praeest universae Ecclesiae, ipse tantum etiam iure divino episcopos eligit, et in sedibus episcopalibus constituit.

Ob gravissima incommoda, quae saepe saepius fiebant ex parte populi, praesertim ob tumultus, Romani Pontifices in episcopis eligendis *testimonium bonum ab iis, qui foris sunt*, non amplius exceperunt suffragio plebis, sed alio modo, qui congruentior ipsis visus est. Totaliter consequens negatur, tum ex eo quod populus et clerus nunquam ius ad constituendum successorem in sede divi Petri

---

(1) Epist. *ad Timoth.*, cap. 3.

(2) Joan., cap. XV.

habere possint, ut probatum est, tum ex eo quod electio episcoporum, olim facta a populo, vere bonum fuerit *testimonium ab iis, qui foris sunt.*

10ª Carmen contra Marcionem, saeculo tertio editum, exponit, ex cura et suffragio populi S. Linum Papam sedisse in Cathedra divi Petri.[1] Ex his duo inferuntur, nempe 1º ius constituendi successorem in Sede Apostolica divi Petri populo inesse: 2º a Sancto Petro, Principe Apostolorum, adhuc vivente, successorem non designatum esse. Ergo Summus Pontifex ius constituendi sibi successorem non habet.

R. Distinguo antecedens. Linum in cathedra divi Petri sedisse conceditur: Linum sedisse ex potestate populi negatur, et proinde duo, quae illata sunt, et consequens negantur.

Ex historia luculentissime constat S. Linum sedisse in Cathedra divi Petri, et constat etiam, quando carmen contra Marcionem editum est tertio saeculo, iam invaluisse

(1) « Taluni autori hanno voluto riferire tutti quei passi, nei quali gli « antichi scrittori cristiani hanno fatto allusione alla Cattedra Apostolica « in Roma; cioè le parole del carme contro Marcione, scritto nel 3º secolo, « dove, parlando della successione di Pietro, si dice che Roma fece sedere « Lino sulla Cattedra dell'Apostolo ». (Marucchi, 22 febb. 1919: « Festa della Cattedra », *Corriere d'Italia*).

morem, a Summis Pontificibus tacite adprobatum, designandi successorem in Pontificatu romano per clerum et populum. Quae proinde traduntur ab auctore, qui carmen contra Marcionem edidit, ad illum morem referuntur, et non ad ius, ex quo S. Linus in Cathedra episcopali successor constitutus est.

Jus ad constituendum, sive ad eligendum successorem in Pontificatu romano nullatenus populo inesse patet ex eo, quod Romani Pontifices ob incommoda illum morem prohibendum esse curaverunt: id quidem curaverunt, quia ius de successore ipsorum tantummodo erat, et non Cleri et populi romani. Clerus et populus romanus reapse non dixerunt ius suum laesum esse, quando Romani Pontifices successores per alium modum in Conclave electi sunt.

Sententia de successione S. Lini, a b. Petro adhuc vivente statuta, firmo innititur fundamento: praeter enim Pontificale Romanum, quod supra memoratur, Cardinalis Hergenröther in notis historiae Universalis Ecclesiae testimonia auctorum habet, qui hanc sententiam confirmant.[1]

Qui Hergenröther, quamvis contra sententiam Baronii testimonia eorum in notis exhibet, qui S. Clementem et

---

(1) Vol. I, cap. 8: « Successione de' Papi », Nota 2ª.

non S. Linum immediate post b. Petrum Pontificatum romanum gessisse dicunt; citat tamen eorum verba, qui narrant S. Linum et S. Clementem a b. Petro episcopos creatos esse, ut ipse praesens per hos duos adiuvaretur et absens repraesentaretur.

III^a THESIS.

DOCTRINA DE IURE UNIUS ROMANI SUMMI PONTIFICIS AD CONSTITUENDUM SIBI SUCCESSOREM SUMMAE EIUS AUCTORITATI VALDE CONGRUA EST.

Praenotandum.

Thesis probanda suscipitur, ut apertissime perspiciatur, non tantum argumenta, quae hactenus tractata sunt, inniti et firmari solidioribus rationibus, sed etiam valde congruum esse propugnare doctrinam de iure unius R. Pontificis, quoad successorem. Quod ius a doctrina concilii Vaticani de primatu ipsius non excluditur, expensis etiam factis historicis (de electione per Clerum et populum), et sententiis nonnullorum theologorum huic iuri non congruentioribus.

§ I.

55. – Ex historia Eusebii, quae primaevae aetatis Ecclesiae gesta tradit, constat primos Romanos Pontifices sibi successorem constituisse. Eius verba ita se habent: « Fundantes igitur, et instruentes (Euseb., *H. E.*, « lib. V, cap. 6. θεμελιώσαντες οὖν καὶ οἰκοδομήσαντες,

« *fundata iam et constituta*) beati Apostoli (Petrus et « Paulus) Ecclesiam, Lino episcopatum administrandae « Ecclesiae tradiderunt (Λίνῳ τὴν ἐπισκοπῆς λειτουργίαν « ἐνεχείρισαν, Lino episcopale ministerium tradiderunt »). « Lib. III, cap. 13 ait, aeque Linum Anacleto romanam « Ecclesiam regendam tradidisse; cap. 34 pariter Clemen- « tem Evaristo tradidisse Episcopatum: Lib. VI, cap. 21 « Callistum Urbano reliquisse Ecclesiam. L. III, cap. 13. « Cuius (Titi imperatoris) secundi imperii anno Linus « Ecclesiae Romanae Episcopus, cum eam duodecim an- « nis administrasset, Anacleto deinde regendam tradidit. « Ibid. cap. 65. Anno eiusdem imperatoris (Domitiani) « duodecimo, Anacletus, exactis in Episcopatu annis duo- « decim, successorem reliquit Clementem. Ibi cap. 34. « Clemens anno supradicti imperatoris (Traiani) tertio « vita finiit, Evaristo sacerdotium (idest Episcopatum « Sedis Romanae) relinquens ». (1) Valde itaque confirmatur ex historicis testimoniis Eusebii, Principem Apostolorum adhuc viventem constituisse sibimetipsi successorem. Primi Pontifices itaque memorati ab ipso Petro exceperunt, sese adhuc viventes, Ecclesiam regendam

(1) *De Successione Priorum Romanorum Pontificum*, thesis academica, auctore F. S., Roma MDCCCXCVII.

successori tradere debere: ex his de facto conspicis Summos Pontifices iure sibi proprio ita usos esse, ut adhuc viventes, successori Ecclesiam regendam traderent.

Quapropter quam maxime ad rem citari heic possunt verba, quae de capite XVI Evang. S. Math. exponenda curavit Ignatius ep. C. P. ad Nicolaum I^um (Mig. 129-60). « Tales beatas voces non secundum quandam utique sor- « tem Apostolorum Principi solum circumscripsit et de- « finivit (Christus), sed per eum ad omnes, qui post illum « secundum ipsum efficiendi erant summi Pastores et « divinissimi sacrique Pontifices senioris Romae transmi- « sit; et ideo ab olim et prisco tempore in exortis haere- « sibus et praevaricationibus eradicatores et interemptores « malorum zizaniorum et labefactorum, et penitus in- « sanabiliter aegrotantium membrorum, multi multoties « facti sunt eorum, qui sanctitatem et summam paterni- « tatem tuam illic praecesserunt; successores scilicet, « Principis Apostolorum, et illius zelum in fide, quae se- « cundum Christum est, imitantes ».

Post eiusmodi testimonium, quod praerogativas Romanorum Pontificum Principi Apostolorum succedentium innuit, praeclarissimus Theologus Hurter (1) ita

(1) *Theol. Dogm.*, Tom. I, tract. III, cap. 3, t. 4, LXXVI, n. 3 not.

concludit: « Hinc liquet quo sensu liceat adfirmare vel « negare praerogativas B. Petro a Christo collatas fuisse « personales. Fuerunt personales, quatenus non erant « communes aliis apostolis; fuerunt non personales, qua- « tenus non concessae in ipsius utilitatem, sed in bonum « Ecclesiae, neque ita affixae eius personae, ut desinerent, « ipso moriente; debebant enim ex Christi voluntate tran- « sire in eius successores ».

Primi summi Pontifices praerogativa usi sunt tradendi Ecclesiam universam regendam successori designato. Praerogativa autem designandi successorem ad regendam Ecclesiam ita Summis Pontificibus in primatu inhaesit et inhaeret, ut in eorum successores transiverit, et transeat, quia in bonum Ecclesiae est: quae praerogativa auctoritati Summi Pontificis congrua est; et eam mirabili fulgori circumdat.

56. – Doctrina, quae excellentiam primatus adauget et extendit, auctoritati Summi Pontificis quidem congrua est; auctoritas enim eius ex vi primatus est, et nitet. Iam vero doctrina de iure Summi Pontificis quoad successorem, excellentiam primatus adauget et extendit: ergo doctrina de iure R. Pontificis ad constituendum sibi successorem summae auctoritati eius congrua est.

S. Leo exponens verborum Iesu Christi sensum *beatus es Simon Bar Iona* ait: « Ideo beatus es, quia te Pater « meus docuit, nec terrena opinio te fefellit, sed inspiratio « coelestis instruxit, et non caro et sanguis; sed ille me « tibi, cuius sum Unigenitus, indicavit. Et ego, inquit, « dico tibi, hoc est, sicut Pater meus tibi manifestavit « divinitatem meam, ita et ego tibi notam facio excel- « lentiam tuam, *quia tu es Petrus*, id est, cum ego sim in- « violabilis petra, ego lapis angularis, qui facio utraque « unum; ego fundamentum, praeter quod nemo potest « illud ponere; tamen tu quoque petra es, quia mea vir- « tute solidaris, ut quae mihi potestate sunt propria, « sint tibi mecum participatione communia. *Et super « hanc petram* et super hanc, inquit, fortitudinem aeter- « nam extruam templum, et Ecclesiae meæ coelo infe- « renda sublimitas in huius fidei firmitate consurget ». [1]

Excellentia, quam R. Pontifex vi verborum *beatus es: Tu es Petrus et super hanc petram* etc.: habet, ex iure constituendi sibi successorem adaugetur et nitentior est.

57. – Praeclarus theologus Hurter hoc tradit: « Ex « disputatis suapte natura consequitur regimen Ecclesiae

(1) Serm. 2 in anniv. suae assumpt., n. 2.

« neque esse democraticum, neque aristocraticum, sed « monarchicum.

« Sunt qui tueantur illud esse quidem monarchicum « ita tamen, ut non careat iis commodis, quibus regimen « aristocraticum et democraticum fruitur.

« Alii malunt dicere illud pure simpliciterque mo- « narchicum, si huius nomine secundum philosophos « intelligatur summum penes unum imperium sine supe- « rioris, aut aequalis, populi, vel alterius principis con- « sortio ». (1)

Ob regimen Ecclesiae pure simpliciterque monarchicum, iuxta hos ultimos theologos, necesse est, ut haec merito retineantur: summum imperium R. Pontificis, divina institutione existens ita penes ipsum est, ut nullatenus consortium alterius sive superioris, sive aequalis, sive populi in illud interveniat. Penes unum hoc imperium Primatus tali unitate est, ut nunquam admitti, tolerari, et cogitari possit ne ex minima parte quidem ingerentia cuiuslibet personae, aut communitatis, nec ullum usquam consortium.

Doctrina de iure unius Summi Pontificis ad constituendum sibi successorem, summum imperium penes

(1) Tact. III de primatu, n. 366 corol. I.

ipsum unum Pontificem iterum atque iterum confirmat, ex eo quod traditur nemini licere iure sibi proprio, sede vacante, de successore aliquid statuere vel peragere.

A theologo Cajetano thesis confirmatur. Ipse enim hoc tradit: « Papa namque instituit ad quos spectat ele-« ctio, et mutat et limitat sic actum electionis, ut opposito « modo sit irritus. In Ecclesia autem, seu Concilio, non « esse hanc auctoritatem, secluso Papa, ex hoc patet, « quod tota Ecclesia non potest mutare auctoritative « legem factam a Papa ». (1)

Actus, qui modo opposito, seu contra legem a Papa latam de successore perficitur, irritus est. Quare irritus? Quia ius R. Pontificis non servatur, quia ius R. Pontificis de successore non habetur. Ergo.

Praeclarissimi etiam theologi Billot doctrina in quaestione XIV de R. Pontifici tradita heic ad rem est.

« Quod legitima electio Pontificis a solo iure pontificio « *de facto nunc* dependeat, facili atque obvio argumento « demonstratur, quia lex regulans electionem fuit edita « per Pontifices summos. Ergo quoadusque a Pontifice « ipso abrogetur, in suo vigore manet, et non est aliqua

---

(1) Tractat. I *de auctoritate Papae et Concilii*.

**

« potestas in Ecclesia, etiam sede vacante, per quam pos-« sit immutari ». [1]

Verba *legitima electio*, et verba: *a solo iure pontificio* quidnam significant? ipsa nullam aliam significationem prae se ferunt, nisi ius unius summi Pontificis ad sibi constituendum successorem.

Electio enim tunc solum legitima erit, quando solum ius Summi Pontificis erit.

58. – Sententia, quam Vernz de iure R. Pontificis ad constituendum sibi successorem in casibus magnae utilitatis vel extremae necessitatis, seu in nonnullis casibus particularibus probabiliorem propugnat, a recentioribus non paucis theologis adfirmativa defenditur. [2]

Sed recepta eiusmodi sententia adfirmativa, Romanum Pontificem ius de successore habere non pro nonnullis tantum casibus particularibus valere sed in omnibus, sed semper, argumentum ita in promptu est: Aut

---

(1) Thes. XXIV.

(2) Ex historia Eccl. Petri Albers, § 39, 2° tom , 1° Editio 1903 legitur: « Non è sufficientemente provato, che in certi casi particolari il Papa « abbia la facoltà di designarsi il successore: solo recentemente l'opinione « affermativa ha trovato diversi difensori ».

Saegmüller Tub., *Quartalschr.*, annata 85 (1903), pag. 91-35; G. Peries, *L'intervention du Pape dans l'election de son successeur*, Parigi, 1902.

Summus Pontifex ius habet de successore, aut non habet: si habet, semper habet; si non habet, numquam habet. Atqui ex ipsissima sententia adfirmativa ius habet; ergo semper habet.

Enucleatur argumentum. R. Pontifex non pro nonnullis tantum casibus particularibus ius de successore habet, quia si id admitteretur, admitti deberet auctoritatem eius limitari et plenitudine potestatis minime frui. Ne dicas, saepe saepius ius inesse alicui, sed non semper hoc iure uti posse. Transeat hypothesis pro quolibet individuo privato, sed quoad Summum Pontificem haud quaquam admitti potest. Auctoritas enim Summi Pontificis tanta plenitudine potestatis in Ecclesia instituta est, ut semper ius ea utendi in bonum ipsius Ecclesiae habeat. Sed ius constituendi successorem in bonum ipsius Ecclesiae est; ergo semper illo iure uti potest. Accedit: sententia adfirmativa de iure R. Pontificis ad constituendum sibi successorem in nonnullis casibus particularibus certo ob vim primatus defenditur: atqui vis Primatus semper essentialiter auctoritati Summi Pontificis inhaeret: ergo semper ius de successore R. Pontifex habet.

Insuper animadvertendum est per sententiam probabiliorem Vernz modum electionis, ut supra dictum

est [1], a Papa in vivis factae, sustineri *probabilius* in casibus determinatis. Sed praeter hunc modum faciendae electionis sunt etiam alii, in quibus Summus Pontifex idem ius habet: nulla ratio est, ex qua in aliis casibus idem ius ei denegetur.

Ex hactenus discussis hac ratione fieri iuvat argumentum: doctrina, quae iura auctoritatis tuetur, propugnat atque defendit, valde congrua ipsi auctoritati est: atqui doctrina de iure R. Pontificis ad sibimetipsi constituendum successorem auctoritatis primatus iura ipsius tuetur, propugnat et defendit; ergo doctrina de iure unius R. Pontificis ad constituendum sibimetipsi successorem valde congrua summae auctoritati eius est.

Enucleatur maior. Semper in bonum societatis est quaevis doctrina ad defensionem et tutelam iurium eius, qui ipsam regit. Quo enim maiore auctoritate is circumdatur, qui societati praeest, eo maior ordo in ipsa est; subditi quippe animos suos paratos ad legis observantiam prae se ferunt.

59. — Doctrina auctoritati valde congrua est, quae errorem contra ipsam auctoritatem, etsi damnatum, magis atque magis refellat et damnet. Atqui doctrina de

(1) Thes. II, obiectiones animad.

iure unius R. Pontificis ad constituendum sibi successorem talis est: ergo valde congrua est auctoritati eius.

Probatur minor. Febronius et Richerius in errorem contra auctoritatem Summi Pontificis lapsi sunt, quippe qui adfirmare ausi sunt potestatem Primatus ex Ecclesia ad R. Pontificem derivare. Errorem hunc Concilium Vaticanum damnavit in sess. 4, cap. I.

Hurter haec tradit: « Contra Primatus adversarios docet et declarat Concilium Vaticanum: « *iuxta Evangelii testimonia Primatum iurisdictionis in universam Dei Ecclesiam immediate et directe b. Petro Apostolo promissum atque collatum fuisse*, et ibi statuit: *Si quis igitur dixerit b. Petrum Apostolum non esse a Christo Domino constitutum Apostolorum omnium Principem, et totius Ecclesiae militantis visibile caput, vel eundem honoris tantum, non autem verae propriaeque iurisdictionis primatum ab eodem D. N. I. Christo directe et immediate accepisse, anathema sit* ». [1]

Ex huiusmodi canone Concilii Vaticani duo praecipue consideranda sunt, damnationem formalem erroris Febronii, Richerii asseclarumque, et auctoritatem R. Pontificis nullatenus ab Ecclesia in facto, actu, consilio et dispositione dependere. In doctrina primatus omnia iura

(1) Tract. III, cap. II, n. 342.

R. Pontificis supra Ecclesiam continentur, et in nulla re is subiicitur ipsi Ecclesiae. Verba enim: *caput totius Ecclesiae militantis*, et verba *directe et immediate primatum a D. N. I. Christo accepisse*, id tantum, et nihil aliud continent et suadent.

Doctrina autem de iure R. Pontificis ad constituendum sibi successorem declarat ipsum etiam in hoc ab Ecclesia non esse dependentem, proinde Concilio Vaticano congrua est, quia hoc Concilium declarando Romanum Pontificem esse *caput Ecclesiae* et *directe et immediate* primatum *accepisse* a Iesu Christo, auctoritatem eius in omnibus, non excluso iure quoad successorem, independentem esse declarat.

§ 2

60. – Cum Clerus et populus successorem in Sede Apostolica vacante designaverint, quamvis supra dictum sit, qua ratione R. Pontifices ius suum servaverint, opportunum tamen, immo necessarium heic etiam est, ut iterum atque iterum quaeratur: fuitne de facto Clero et populo, seu Ecclesiae universae, ius proprium designandi successorem in sede episcopali vacante Romae, cum Summi Pontifices eligebantur eo modo?

Ex historia factum exhibetur: sed cuiusnam fuit ius, intelligatur oportet. Clerus et populus ius de successore habere non potuerunt. Ecclesia sane vera monarchia est. Atqui in monarchia ius de successore numquam proprium esse potest communitatis: ergo Clerus et populus habere non potuerunt ius de successore eligendo sede vacante; sed ipsi per delegationem, vel tacitam, vel rationabiliter praesumptam, id fecerunt. Certum est ex natura Primatus hoc proprium R. Pontificis esse, ut nullatenus summa auctoritas eius ab Ecclesia, cuius caput est, dependeat: ergo etiam in designando sibi successore nullatenus dependet, sed in hoc ius sibi proprium habet.

Enucleatur antecedens huius argumenti. Sententia communis theologorum quoad auctoritatem R. Pontificis et auctoritatem Ecclesiae, in eo est, ut numquam supra auctoritatem R. Pontificis auctoritas Ecclesiae, sive spectatae in Episcopis et christifidelibus, sive spectatae in concilio, admitti possit. Iure meritoque praeclarissimus theologus Card. Billot hanc thesim probandam suscipit: « R. Pontifex habet potestatem ordinariam, immediatam, « et vere episcopalem in omnes et singulas particulares « ecclesias; itemque in omnes episcopos tam dispersos « quam congregatos, tam distributive, quam collective « sumptos. Unde superioritas Concilii supra Pontificem

« a Gallicanis aliquando asserta, reiicienda est tamquam « omnino erronea ». [1]

Ad rem proinde Bulla *Pastor aeternus* Leonis X citatur, in qua sic legitur: « Romanum Pontificem pro tem- « pore existentem tamquam auctoritatem super omnia « concilia habentem, tam conciliorum indicendorum, tran- « sferendorum ac dissolvendorum, plenum ius ac potesta- « tem habere, nedum ex sacrae scripturae testimonio, « dictis sanctorum Patrum, ac aliorum Summorum Pon- « tificum sacrorumque canonum decretis, sed propria « etiam eorundem conciliorum confessione manifeste con- « stat ».

Inferius dicetur, quando, et quo sensu Bouix [2] docet a Synodo Episcoporum, et, si necesse est, etiam a concilio generali, successorem, vacante sede apostolica, constitui posse.

61. – Si opinemur verum et omnino sibi proprium ius ad designandum successorem in Sede Apostolica vacante Clero et populo de facto fuisse, necesse est etiam, ut opinemur eo tempore summam auctoritatem Primatus ab Ecclesia dependere quoad successorem; quae depen-

(1) Quaest. XIV, thes. XXX, *De Rom. Pontifice*.
(2) Thes. II, obiectiones, animad.

dentia ad mentem Concilii Vaticani non admittitur. Admitti proinde non potest de facto fuisse Ecclesiae ius sibi proprium ad constituendum successorem in sede Episcopali Romae, sed potius admittendum est a Romanis Summis Pontificibus id permissum esse, ut per Clerum et populum, ob immanes saevientioresque persecutiones, et dein ob tempora turbulentissima successor designaretur, adeo ut ipsi Pontifices successorem designaverint per populum et clerum, et ius suum servaverint, quia, qui per alium facit, per se ipsum facere videtur. Dices autem fortasse: designatio personae de clero ad sedem Apostolicam vacantem est factum humanum [1]; quod factum humanum tantummodo ex hominum voluntate pendens et nihil ex iure primatus, de facto fuit ius Ecclesiae, quando Clerus et populus elegerunt R. Pontificem. Resp. designationem personae de clero ad vacantem sedem episcopalem Romae factum humanum fuisse et esse haud dubium est; sed eiusmodi humanum factum, ita ad primatum refertur, ut sit ipsum tamquam conditio *sine qua non* ad perfunctionem primatus in bonum Ecclesiae: quae conditio quidem iuris R. Pontificis est, et nihil aliud est, nisi electio Episcopi ad sedem episco-

(1) Mazzella, *De R. Pontifice.*

* * *

patus Romae « cui inseparabiliter inhaerens est primatus » (Perrone, n. 571); electio autem Episcopi Sedis Romae ius quoque est Summi Pontificis, prout est etiam ius de electione aliorum Episcoporum. (1)

62. – Ob populum autem, qui magna cum frequentia ad electionem Pontificis convenit, modificationes factae sunt. Viri tantummodo primarii, et deinceps fungentes muniis publicis societatis civilis ad designandum successorem in Cathedra divi Petri convenerunt: Principes seu Reges, vel electionem Pontificis contenderunt ad se pertinere, vel in eam sese ingerere ausi sunt.

Nonnulli itaque Romani Pontifices ad confringendum *Caesaro-papismum* iure et merito personaliter successorem designaverunt. De Bonifacio II et de Felice III (IV) id traditum est. (2)

Animadvertere tamen oportet, etiam hisce turbolentissimis temporibus numquam defuisse modum legitimum electionis, qui iuxta praeclarissimum Billot, est

---

(1) Supra thes. II, n. 36.

(2) « L'elezione del Papa in questi tempi (590-604) subì qualche mo-« dificazione: invece del popolo, divenuto a poco a poco troppo numeros« per prender parte alla elezione, intervennero i grandi, i funzionarii « imperiali, e finalmente il Senato. Gli imperatori cercarono pure di « far prevalere la loro autorità, nè era troppo facile eleggere qualcuno « contro il loro volere.

« Costanzo fece prova del più arbitrario dispotismo, esiliando Li-

lex regulans electionem [1] adeo ut, si quis de clero aliquando per iniustam ingerentiam principis societatis civilis (ita de Papa Silverio et de Papa Vigilio narratur) [2] titulum Pontificis Romani habuerit, numquam sese legitimum Papam putaverit, nisi quando ipse per legitimum modum electionis confirmatus fuit. Modus autem huiusmodi de eligendo successore, seu *lex regulans electionem*, vere ius

---

« berio, e sostituendogli Felice. Non costa che la confermazione della « scelta da parte dell'imperatore fosse richiesta come un dritto, però egli « si interponeva in caso di disaccordo; del resto i papi stessi notificavano « la loro elezione all'imperatore. L'ingerenza della corte fu determinata « così: l'eletto non era consacrato prima della confermazione, e si nomi- « nava: *electus, futurusque per Dei gratiam huius Apostolicae Sedis Anti- « stes*. Dopo la morte del Papa Simplicio (468-483) il prefetto s'ingerì « nella elezione, e Teodorico di suo arbitrio osò designare Felice III (IV) « (anno 526-530). » In quei tempi l'ascendente del sovrano divenne spesso funesto. Stretto dalle circostanze Felice III *designò* egli stesso il suo suc- « cessore, ma senza ottenerne lo scopo, giacchè si ebbero due elezioni. Dopo lui Bonifacio II fece segnare dai suoi preti un decreto, che gli « conferiva il dritto di *nominare* il suo successore; ma l'opposizione « che egli incontrò, lo costrinse ad annullare questo decreto in un Si- « nodo seguente. Non è sufficientemente provato che, in certi casi, parti- « colari, il Papa abbia la facoltà di designarsi il successore; solo recente- « mente l'opinione affermativa ha trovato diversi difensori ».

« Felice III (IV) (526-530), innalzato con la forza di Teodorico, fu « ricusato per molto tempo, poi finalmente fu eletto. Egli designò suc- « cessore suo Bonifacio II, offrendogli il proprio pallio. Dioscoro, rivale di « Bonifacio, morì dopo un mese. Bonifacio II (530-532) nominò pari- « mente il suo successore (Vigilio), ma poi mutò di parere ». *Storia Ecclesiastica* di ALBERS., tom. I, § 39.

(1) *De R. Pontifice*, thes. XXIX.

(2) Hergenröther tom. I, pars. III, cap. VII.

R. Pontificis fuit, et est, quia semper a Summis Pontificibus hunc, tamquam legem servandam esse, vel aperte decretum est, vel tacite adprobatum est.

63. – De nonnullis veritatibus doctrinae catholicae id factum est, ut primum in revelatione continerentur essentialiter, et postea de illis doctrina valde congrua tradita sit. De veritate, nunc dogmatica, Immaculatae Conceptionis B.ma Virginis, de veritate etiam nunc dogmatica, Infallibilitatis R. Pontificis id quidem factum est.

Doctrina de iure unius R. Pontificis in successore sibi constituendo haud dubium est, quin in veritate Primatus et plenitudinis potestatis eius contineatur.

Si quid in turbulentissimis præteritis temporibus minus congruum, et non aperte secundum ius de successore exceperis, prout de Bonifacio II traditur, qui decretum de constituendo successore, a presbyteris firmatum voluit, tu quidem excipis, ex eo quod doctrina de plenitudine potestatis et de Primatu Summi Pontificis non evoluta erat, uti nunc est. [1] Ex hoc facto proinde nullum argumentum contra ius ipsius inferri potest.

64. – Si canonem Concilii Vaticani perpenderis, haec

---

(1) Conf. *Hist. Eccles.*, Hergenrhother, vol. I, part. 3, cap. XII. Albers l. c.

tria censere et retinere debes: 1º beatum Petrum Apostolum Principem constitutum esse: 2º totius Ecclesiae militantis visibile caput esse: 3º verae et propriae iurisdictionis primatum directe et immediate a Iesu Christo accepisse.

Ex hisce tu perspicis a Concilio Vaticano auctoritatem R. Pontificis adeo summam declaratam esse, ut nullatenus admitti possit ipsam, vel fuisse, vel esse subiectam Ecclesiae, et iura ipsius nullatenus ab ea limitari posse. Ius igitur unius R. Pontificis de constituendo successore id quidem declarat, ut auctoritas eius, neque subiecta sit Ecclesiae, neque ab ipsa limitetur.

Nonnullas quaestiones de electione Summi Pontificis ob circumstantias, particulari ratione consideratas, quas theologi exhibuerunt, heic etiam referre iuvat. Quaeritur (quaestio esse potest, ut aiunt Bouix et Billot de possibili) utrum ad aliquam auctoritatem, praeter Pontificiam, *assignatio conditionum* electionis pertinere possit.

Certo sola auctoritas Concilii oecumenici ab auctoritate pontificia separatim considerata, ius habere non potest constituendi *assignationem conditionum electionis:* ius enim Concilii oecumenici vim suam a Papa habet.

Nulla alia itaque auctoritas conditiones electionis assignare potest, nisi auctoritas Summi Pontificis. Ratio,

quae magnam vim, magnam lucem ad non admittendam sententiam de auctoritate Ecclesiae in electione R. Pontificis prae se fert, ex verbis magni ponderis praeclarissimi Billot est. « Cum soli Petro datus sit Primatus pro « ipso et successoribus eius, ad illum solum, id est ad so- « lum Summum Pontificem spectat determinare modum « transmissionis haereditariae potestatis, adeoque et ele- « ctionis per quam haec ipsa trasmissio perficitur. Accedit « praeterea quod omnis lex respiciens ordinem universalis « Ecclesiae transcendit limites ex natura rei praefixos « potestati non supremae, sed ad ordinem universalis « Ecclesiae spectat, sine dubio, electio Summi Antistitis. « Ergo ex natura rei reservatur determinationi illius, « cui cura totius communitatis a Christo commissa est ». (1) Ob casum autem lacrymandum, in quo plures de papatu contendunt (quod Deus semper avertat) ut in praeteritis schismatibus accidit, doctrina de iure unius R. Pontificis de successore ad contentiones praecidendas, quam maxime congrua est. Cum in electione qualibet ius penes unum habeatur, contentiones facile praecaventur, etsi ex hominum malitia exortae fuerint, facile praecidentur. Ob morem inductum ex permissione Romanorum Pon-

(1) Billot. l. c., quaest. XIV *De R. Pont.*, thes. XXIX.

tificum, qua Clerus et populus successorem designaverunt, illi, qui malis artibus ad papatum contenderunt, causa schismatum fuerunt. Ex doctrina de iure unius Romani Pontificis pro successore vel schisma contendentium ad papatum praecavetur, vel removetur. Is enim, cuius electio iuxta *legem regulantem electionem* facta est, verus Papa est, et contra alios contendentes inclamandum est; recedite, quia soboles diaboli estis.

65. — Quidnam dicendum de casu, etiam atque etiam lacrymando, quo ob tot tantaque dissidia, ob tot tantasque difficultates, haud quaquam evitabiles, superandas, vincendasque *lex regulans electionem* servari non potest, ut theologi putant de casu horrendi schismatis, ad quod finiendum Papa Martinus V electus est? quidnam in hoc casu dicendum de iure unius R. Pontificis ad constituendum sibi successorem?

Caietanus haec tradit: « In casu autem ambiguitatis « (quia nescitur, si aliquis est verus Cardinalis..., mortuo « vel incerto papa, ut tempore magni schismatis inchoati « sub Urbano VI contigisse videtur) in Ecclesia Dei esse « potestatem applicativam papatus ad personam, ser- « vatis debitis conditionibus, asserendum est. Et tunc « per viam devolutionis ad universalem Ecclesiam pote-

« stas haec devenire videtur, tamquam non existentibus « electoribus determinatis a Papa ». [1] Praeclarissimus Billot sententiam suam exhibet de casu « in quo ad ele- « ctionem Pontificis procedere oporteret, quin amplius « possibile esset servare conditiones, quas antecedens « lex pontificia determinaverat », quae sententia pene eadem est, ac sententia theologi Caietani:

« Supposita semel talium occurrentia circumstantia- « rum sine difficultate admittendum, quod potestas ele- « ctionis devolvitur ad concilium generale. [2] Ex ipso « enim iure naturali est, quod in eiusmodi casibus sit « attributio potestatis superioris per devolutionis viam « ad potestatem proxime sequentem, quantum praecise « requiritur ut possit societas conservari, et extremae « necessitatis angustias evadere ». [3]

Veruntamen, ex doctrina catholica post definitionem dogmaticam Concilii Vaticani traditur: *beatum Petrum, seu Romanum Pontificem esse totius Ecclesiae militantis visibile caput, et directe et immediate a Iesu Christo verae et propriae iurisdictionis primatum accepisse:* ex qua do-

(1) In l. supra c.

(2) Animadvertito autem: quis convocat hoc concilium? quisnam illi praeerit?

(3) *De R. Pontif.*, quaest. XIV, l. c.

ctrina sententia theologorum de potestate Ecclesiae in casu memorato ad eligendum Pontificem eo sensu admittatur, oportet, quo ius unius Pontificis de successore servetur. Servari autem videtur non ex *potestate applicativa papalus ad personam*, neque *ex ipso iure naturali propter attributionem potestatis superioris per devolutionis viam ad potestatem proxime sequentem*, sed ex epikeja *legis regulantis electionem*, ob quam Ecclesia legitime personam ad sedem vacantem designet [1]; per epikejam Ecclesia designat successorem ex delegatione Pontificis, quia ex delegatione ipse ius suum servat.

S. Doctor Alphonsus De Ligorio de epikeja haec tradit: « quoad epikejam (quae est praesumptio saltem pro- « babilis, quod legislator in aliqua rerum circumstantia « noluerit obligare) illa locum habet, quoties lex red- « deretur nociva, aut valde onerosa, et observatu diffi- « cilis » (Homo Apostolicus, *Tract. de legibus*, n. 77). De electione Summi Pontificis existit *lex regulans electionem* iuxta praeclarissimum Billot.

Ex historia ecclesiastica Eusebii lex regulans electionem Summi Pontificis fuit traditio ipsorum pontificum ad regendam universam Ecclesiam successoribus sponte

(1) *De R. Pontif.*, quaest. XIV, l. c.

designatis, et haec traditio usque ad Pontificem Sanctum Evaristum viguit. Postea lex regulans electionem fuit mos eligendi successorem, vacante sede, per clerum et populum: qui mos, post primam electionem, [1] vera tacita concessio ipsorum Pontificum fuit, quae habita est, usque dum alium modum electionis habendum esse ipsi statuerunt: hunc alium vere statuerunt, qui in posterum fuit lex regulans servanda ab episcopis nonnullis et presbyteris Cardinalibus.

Ex his tu perspicis, Summos Pontifices formam canonicam regulantem electionem [2] ex iis (Clero et populo), qui Ecclesiam repraesentabant, ad presbyteros Cardinales [3] transferendam et in posterum servandam esse statuisse.

(1) In prima electione per clerum admittatur oportet illam per actum voluntarium praesumptum Pontificis factam esse (thes. 2ª).

(2) Formam canonicam (quae merito habetur *tamquam lex regulans electionem*) *semper servatam esse etiam in electione per Clerum et populum, ex historia ecclesiastica loculentissime constat.* « Il clero romano si oppose « a questa ordinanza (del re Odoacre) la quale sminuiva la libertà delle « elezioni, e si fece forte sul decreto dato già da Onorio a preghiera del « Papa Bonifacio I, conforme al quale non si doveva tenere per legit- « timo Pontefice di Roma, se non chi fosse eletto nella forma canonica ». HERGENRÖTHER, *Storia della Chiesa*, vol. II, cap. VII.

(3) Romani Pontifices cum consilio Episcoporum viciniorum Romae in bonum Ecclesiae uti inceperint, et paulo post etiam presbyteros Cardinales instituerint in adiumentum regiminis Ecclesiae, iure meritoque ab iis et non amplius a Clero et populo formam canonicam legem regulandam electionem servandam esse statuerunt.

Primi presbyteri Cardinales, quorum auxilio, vel opera ad munia in

Iam vero rationabiliter praesumitur ab ipsissimo legislatore legem, seu formam canonicam electionis in eo casu ad presbyteros Cardinales non transferri, alioquin lex foret nociva, et observatu difficilis: sed potius admittendum esse praesumitur, ex epikeja in tali casu Romanum Pontificem voluisse penes Ecclesiam servare legem regulantem electionem, ut erat, quando pontifices ex tacita concessione permittebant a Clero et populo successorem designari: adeo ut et R. Pontifex ius suum servet, et servetur sententia communis theologorum, qua numquam admittitur supra auctoritatem R. Pontificis esse auctoritatem Ecclesiae. Veruntamen fatendum est, difficultates esse non tantum in sententiis de iure Ecclesiae per

---

bonum Ecclesiae expedienda Summi Pontifices usi sunt, sacculo septimo extiterunt. « I precipui consiglieri del Papa erano da tempo antico i « Vescovi più vicini, massime quelli di Ostia, Porto, Albano, Silva « Candida, Velletri, Gubii, Preneste, Tivoli, Nomento, Anagni, Nepi, « Segni, Lavicum; di poi i preti e diaconi che presedevano alle chiese più « riguardevoli, dai quali a poco a poco risultò il *Collegio dei Cardinali*.

« Già nel 769 s trovano mentovati sette Cardinali Vescovi, e il nome « di Cardinali è usato fino dal VII secolo. E come il dritto romano allora « vigente non istabiliva alcuna forma determinata, e questo rispondeva « alla condizione del papa, e all'indole dei tempi, i negozi temporali « erano trattati alla stessa guisa che gli affari spirituali. Il papa, o deci- « deva per se stesso mediante il consiglio dei Vescovi e preti Cardinali, « ovvero deputava alcuni di questi affine di esaminare e decidere le que- « stioni di dritto. Alle volte però non commetteva loro, che la informa- « zione e riserva a sé la sentenza ». HERGENRÖTHER, vol. III, cap. VIII.

potestatem applicativam, et per devolutionem iuris, sed etiam in admittenda epikeja.

Sententia Franzelin autem, ex qua providentia Iesu Christi pro indefectibilitate Ecclesiae numquam deest, praeferenda esse videtur. « Cur humili laude miremur « Christi regis sponsi et capitis ecclesiae providentiam, « qua ingentes illas turbas cupiditate et ignorantia ho- « minum invectas ac sustentatas composuit, salvis omni- « bus legibus, demonstrans clarissime, non ope humana, « sed divina fidelitate in praemissis et omnipotentia in « gubernatione niti indefectilitatem petrae, in qua ipse « aedificavit Ecclesiam suam, ut portae inferi non prae- « valebunt adversus eam ». (1)

Sed quoad electionem Papae Martini V quaeritur etiam: facta estne eiusmodi electio ab Ecclesia ex iure sibi proprio? Compertum est synodum Constantiensem a legitimo papa Gregorio XII in verum generale concilium transmutatum esse. Ipse enim antequam Papatum renuntiaret, ut finis horrendi schimatis ob duos antipapas Ioannem XXIII et Benedictum XIII haberetur, Constantiam plenipotentiarios suos misit, qui synodum Constantiensem in concilium generale converterent ex facul-

(1) Franzelin, *De Ecclesia.*

tate, ab ipso papa data, illud convocandi. Cardinalis Dominici de Ragusa constitutionem Summi Pontificis Gregorii XII in Sessione XIV hoc modo promulgavit: « In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen. « Auctoritate ipsius Domini nostri Papae quantum ad « eundem spectat... ut sub diversorum professione pasto- « rum dissidentes christiani in unitate Sanctae matris Ec- « clesiae et charitatis vinculo coniungantur, *istud sacrum* « *concilium generale convoco, et omnia per ipsum agenda* « *auctorizo et confirmo* iuxta modum et formam, prout « in litteris Domini Nostri Papae plenius continetur ».[1] Cardinalis Ostiae, Viviers, ex eadem Constitutione Papae Gregorii huic concilio praefuit. Post abdicationem Gre-

(1) « Egli solo papa legittimo (Gregorio XII) si diportò con dignità « e prudenza... Risoluto di dare la pace alla Chiesa dichiarava di abdi- « care a condizione, che il concilio (di Costanza) non si avesse per legit- « timo sino a quel punto, ma fosse di nuovo per lui conservato, e che « nella sessione nella quale si promulgherebbe la rinunzia, nè il Cossa, « nè altri dell'obbedienza di lui avesse la presidenza. In questa sessione « furono lette due credenziali dei plenipotenziarii di Gregorio XII, « una delle quali dava facoltà a tutti insieme gl'inviati di convocare e « legittimare il concilio. Il Cardinale Giovanni Dominici di Ragusa con- « vocò allora, ratificò e confermò il concilio e i suoi atti susseguenti « *agenda, non acta*), in virtù della bolla del papa Gregorio. Appresso il « Viviers, Cardinale di Ostia, riprese tosto la presidenza del Concilio « già dichiarato generale, ed il Malatesta lesse l'atto di abdicazione di « Gregorio... Così le forme legali furono con ogni rigore osservate, e as- « sicurata con ciò la legittimità al papa seguente ». HERGENRÖTHER, *Storia della Chiesa*, vol. V, part. 2ª, cap. 6.

gorii, in Sessione XIV promulgatam, concilium Constantiense legitimum factum, ex facultatibus acceptis, quidquid peragebat, legitime peragebat. Successorem itaque Martinum V, non ex iure sibi proprio Ecclesia in Concilio constantiensi elegit, sed ex facultatibus acceptis a Gregorio XII, quas dedit ante renuntiationem. Praeclarissimus Billot non solum in textu (quaest. XIV) hanc sententiam de Martino V defendit, sed etiam in notis.[1]

(1) « Legitimitas electionis Urbani VI videtur nunc undequaque « explorata; et ex ea sequitur legitimitas successorum Urbani, idest « Bonifacii IX, Innocentii VII, et Gregorii XII. Porro Gregorius XII « de plenitudine potestatis constituit synodum constantiensem in verum « ac legitimum concilium pro extirpatione horrendorum schismatum « et integra unione merito optanda et perficienda. Hanc Gregorii constitutionem legatus eius Cardinalis de Dominicis solemniter promulgavit in sess. XIV: *In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti amen. « Auctoritate ipsius Domini Nostri papae quantum ad eundem spectat... « ut sub diversorum professione pastorum dissidentes christiani in uni- « tate sancta matris Ecclesiae et charitatis vinculo coniungantur, istud sa- « crum concilium convoco, et omnia per ipsum agenda auctorizo et con- « firmo iuxta modum et formam, prout in litteris Dni. Nostri Papae plenius « continetur.* Tunc synodus per impertitam sibi auctoritatem, in sess. XVI « decrevit modum et formam futurae electionis R. Pontificis post sedis « vacationem, ipsi Concilio hac vice statuendum reservari. Accessit « tandem in eadem sess. XVI libera abdicatio Gregorii. Per hanc renun- « tiationem sedes Apostolica vere relicta est vacua, ac proinde Concilium « ex facultatibus sibi a suprema Pontificis potestate attributis potuit « legitime procedere, modo, forma, loco, tempore et materia per ipsum « Concilium ordinatis, ad *canonicam et certam* electionem unici futuri « Summi Pontificis, eamque tandem post biennium in Martino V feli « citer perfecit ». Ita Franzelin, *De Ecclesia*, thes. XIII in scholio

Bouix etiam in casu, ob quem plures de Papatu contendunt, haec habet: « Et quoad hanc schismatum speciem « (idest quoad schismata provenientia ex pluribus de pa« patu contendentibus) existit vera sufficiens in Ecclesia « auctoritas; Episcoporum nempe, quorum in his casibus « ius et officium est, sive singulatim, sive in conciliis par« ticularibus, sive etiam (si opportunum ipsis videatur) « in concilio generali, diligenter investigandi, quisnam « inter contendentes verus sit, ac legitimus Pontifex, et « quem certo talem compererint, publice agnoscendi ac « proclamandi. (1) Ex hac sententia Bouix auctoritas ecclesiae in eo est, ut Episcopi ius et officium habeant investigandi quis sit verus et legitimus Papa. Supponitur itaque *legem regulantem electionem* iam servatam esse, quia pro certo habetur verum et legitimum Pontificem existere; auctoritas ad hoc tantum modo Ecclesiae, seu Episcopis tribuitur, ut ab ipsis investigetur, quis sit legitimus Pontifex inter contendentes, et hic talis declaretur: ius et officium proinde Episcopi habent, non de constituendo, vel designando successore, sed de inquirendo quisnam Pontifex sit verus et legitimus inter contendentes: ita ut ius unius R. Pontificis quoad successo-

(1) De Romano Pontifice.

rem iam servatum sit, quia existit unus inter contendentes, qui verus et legitimus Pontifex est.

De hac sententia tamen etiam quaeritur: quis legitima auctoritate synodum, quis concilium generale convocat et illi praeerit?

66. – A theologis admittitur etiam hypothesis de haeresi, in quam R. Pontifex labi potest: quae hypothesis ob illud: *ego pro te rogavi, ut non deficiat fides tua* [1] pro B. Petro et successoribus eius, impossibilis dicenda est: Merito praedicta verba *ego pro te rogavi* non solum ad infallibilitatem Summi Pontificis referri theologi tradunt, sed etiam ad personam eius privatam, quod *attinet ad praeservationem* ab haeresi extendi. Sed *dato et non concesso*, ut aiunt scholastici, Summum Pontificem in haeresim lapsum esse, quid dicendum? et in hac suppositione, quid quoad successorem? Supposito papa haeretico occulto, nihil de ipso statuendum est: si id fieret, coram Deo culpa gravissima ipse macularetur, et Ecclesiam regeret. De supposito papa haeretico notorio, seu publico, dicendum est ipsum non amplius esse caput Ecclesiae, et proinde Summum Pontificatum amisisse, quia extra Ecclesiam

---

(1) *S. Luca*, cap. 22.

est ob crimen publicum haereseos. Billot haec tradit: « hac igitur suppositione, semel facta, concedunt omnes « auferendum fore vinculum communionis et subiectionis, « propter auctoritates divinas, quae expresse iubent se- « parationem ab haereticis. Tit. III, 10, 2, Ioan. 10 ». Facta ergo hypothesi papae, qui fieret *notorie* haereticus, « incunctanter concedendum est quod ipso facto amit- « teret pontificalem potestatem, dum *propria voluntate* « transferretur *extra corpus Ecclesiae, factus infedelis*, « sicut bene dicunt auctores, quos immerito, ut videtur, « confutat Caietanus ». (1)

Nonnulli cum ipso Caietano id propugnant, ut factus haereticus Papa potestati ministeriali Ecclesiae subiiciatur quoad depositionem. Sed hoc non admittitur: Papa factus haereticus extra Ecclesiam est et Ecclesiae non subiicitur.

Nonnulli alii censent Papam haereticum notorium auctoritati Ecclesiae subiicii tantummodo quoad sententiam declaratoriam; adeo uti, ipso ob haeresim Pontificatum omittente de vacatione sedis sententia feratur. Sed quodnam tribunal est ad hanc ferendam sententiam? Ecclesia? Ipse ob haeresim extra Ecclesiam est: sed si ibi

(1) Quaest. XIV. *de R. Pontifice.*

esset, Ecclesia nullam supra Pontificem haberet auctoritatem. Ad rem canon 1556 ita traditur: « Prima Sedes a nemine iudicatur ».

Insuper haud quaquam eiusmodi sententia necessaria est. Notorium est, ob haeresim notoriam, Papam non amplius Ecclesiae caput esse. Ergo etiam notorium est sedem Apostolicam vacare.

Verba Caietani heic adamussim referre iuvat: « Sicut, « deficiente vita corporali per mortem, desinit subiectum « Papatus, ita deficiente fide in illo homine, qui est Papa, « per haeresim, desinit subiectum Papatus ».

Ex his itaque discussis, etiam in hac hypothesi doctrina quoad ius unius R. Pontificis de successore habetur, quia lex regulans electionem viget, quae etiam in hac hypothesi servanda est, et proinde etiam ius R. Pontificis servatur ad constituendum sibi successorem.

OBIECTIONES.

1ª – Vacante Sede Apostolica, doctrina congrua quoad ius de successore in regimine ecclesiae est eadem, ac doctrina de successore in regimine societatis civilis: nihil enim a Iesu Christo de successore in regimine, seu in Primatu, revelatum est. Atqui doctrina congrua societatis civilis de successore in regimine universim recepta haec est, ut ipsissima societas ius habeat constituendi sibi successorem: ergo doctrina congrua Ecclesiae de successore in Pontificatu etiam haec est, ut ipsissima ecclesia ius constituendi successorem in Pontificatu Romano habeat.

R. Maior omnino negatur: consequentia proinde etiam omnino negatur.

Doctrina de jure successoris in Sede Apostolica vacante nullatenus est eadem atque doctrina de jure successoris in regimine societatis civilis.

Regimen Ecclesiae est monarchia aeterna, quia *regni eius non erit finis.* (1) Successio autem huius regni haud

(1) *S. Luca*, cap. I.

quaquam ex communitate aliqua habetur, sed eodem modo habetur, quo primatus institutus est: Primatus autem, ex iure divino institutus, ex eodem iure in successoribus B. Petri continuari debet. Successio in regimine societatis civilis ex una forma in aliam potest transferri, et id etiam legitime, quando ex forma monarchica in aliam transfertur, si bonum commune id requirat (Vid. thes. II, n. 31 in nota).

Illud autem « *a Iesu Christo nihil de successore revelatum est* » falsum est. Animadvertas oportet, a Iesu Christo successorem suum constitutum esse B. Petrum et nequaquam ab Ecclesia. Ex sententia S. Gregorii hoc factum Iesu Christi tamquam praeceptum habendum est. « *Ipsa enim facta eius (Iesu Christi) praecepta sunt;* « *quia dum aliquid tacitus facit, quid agere debeamus, in-* « *notescit* ». [1]

Doctrina igitur congrua de iure successoris, sede vacante, in hoc est, ut ius constituendi successorem sit unius ipsius R. Pontificis, quia id ex voluntate Iesu Christi est, et quia id requirit auctoritas Primatus.

2ª Doctrina congrua auctoritati Summi Pontificis quoad successorem, sede vacante, illa tantummodo re-

(1) Hom. 17 in *Evang.*

tinenda est, ex qua per auctoritatem Ecclesiae successor designetur: defuncto enim Papa, neque est concessio, neque est delegatio ad constituendum successorem, quia non existit subiectum, quod concedat, quod deleget, seu quod per alium agere possit. Ergo sede vacante Ecclesia tantummodo ius de constituendo successore habet, quippe quae tantum ipsa existit.

R. Nego antecedens, qua parte asseritur tantummodo retinendam esse doctrinam de designando successore per auctoritatem Ecclesiae. Ad probationem autem distinguitur. Nego consequens, qua parte asseritur Ecclesiam tantummodo de constituendo successore ius habere. Negatur antecedens, quia ex dictis patet non per auctoritatem Ecclesiae, quae Summo Pontifici subest, successorem designari. Distinguitur probatio hoc modo: concessio et delegatio ad constituendum successorem nullatenus existunt, si ne lex quidem existit regulans electionem, faciendam per delegationem; sed cum eiusmodi lex existit, certo delegatio ad constituendum successorem existit. Et sane lex de constituendo successore per delegationem, defuncto Papa, vere existit. Constitutio enim Pii Papae X, die 25 Decembris 1904 edita, existit, quae, prout ab ipsissimo Pontifice declaratur, vim legis de electione

Papae habet; Pontifex ait: « ...certa scientia et motu « proprio, de Apostolica Nostrae potestatis plenitudine, « hanc Constitutionem, quae perpetuo in futurum vigeat, « edere statuimus, qua Sacrum Cardinalium Collegium, « Romana Petri sede vacante, atque in Romano Ponti- « fice eligendo unice utatur, eamque vim legis habere « solam decernimus ». Cum igitur existat lex regulans electionem, quae voluntatem Papae circa electionem successoris per alium exhibet, dicendum est ipsum papam per Sacrum Collegium successorem constituere.

Negatur consequens, qua asseritur Ecclesiam ius habere de successore, quia iam probatum est, hoc ius unius R. Pontificis esse.

3ª Constitutio Pii Papa X ad modum tantum et non ad ius electionis spectat. Ecclesia igitur, quae per Sacrum Collegium repraesentatur, vacante Sede Apostolica, iure suo utitur in electione Summi Pontificis, et modum utendi hoc iure ab ipso Pontifice statutum, excipit. Jus ergo designandi successorem R. Pontificis proprium Ecclesiae est, et ius determinandi modum electionis proprium Summi Pontificis est.

R. Nego antecedens et nego consequens. Summus Pontifex declarat sese ex plenitudine potestatis constitu-

tionem edere. Non solum proinde declarat ad ipsum spectare modum eligendi, sed etiam ius eligendi, alioquin plenitudo potestatis ei non esset.

Detur etiam constitutionem praedictam ad modum et non ad ius eligendi spectare: hac hypothesi dici deberet auctoritatem Ecclesiae maiorem esse auctoritate Summi Pontificis, quia ius eligendi subiectum Pontificatus romani maius est, quam ius de modo eligendi hoc subiectum, cum modus sit aliquid accidentale et variabile. Atqui numquam admitti potest auctoritatem Ecclesiae maiorem esse Summi Pontificis: ergo numquam admitti potest constitutionem Pii Papae X tantummodo ad modum et non ad ius eligendi spectare.

Facilissimum autem est a nobilissimo Sacro Collegio Ecclesiam representari. Tam ex historia, quam ex facto patet, a Sacro Collegio Summum Pontificem repraesentari: ex historia quidem, quia presbyteri Cardinales, saeculo septimo a Summis Pontificibus electi et constituti sunt ad ipsos coadiuvandos in regimine Ecclesiae: ex facto, in praesentiarum enim Sacrum Collegium repraesentat Summum Pontificem in Sacris Tribunalibus, et ius ipsius gerit. In designando successorem igitur, sede vacante, prout ex constitutione citata patet, ius etiam R. Pontificis gerit.

4. Doctrina congrua auctoritati R. Pontificis, quoad successorem, illa est, qua propugnatur subiectum ab Ecclesia potius, quam ab ipso Pontifice designari, quia praeclarae virtutes, vel dotes cuiusvis subiecti designabilis ad regendum, a communitate potius, quam ab individua persona cognoscuntur.

Ergo doctrina de iure unius R. Pontificis ad constituendum sibi successorem, nequaquam summae auctoritati eius congrua est.

R. Nego antecedens, et nego consequens. Cum Ecclesia sit perfecta monarchia, doctrina congrua auctoritati R. Pontificis quoad successorem illa esse debet, qua, sede vacante, quoad designandum subiectum Papatus natura formae monarchicae servetur. Iam vero doctrina de iure unius R. Pontificis ad constituendum sibi successorem formam monarchicam servat, cum subiectum Papatus, sede vacante, ab ipso Pontifice et non ab Ecclesia, seu a communitate, designetur: ergo doctrina de iure unius R. Pontificis, quoad successorem congrua summae auctoritati eius est.

Ratio antecedentis, hisce verbis exhibita: « quia prae« clarae virtutes cuiusvis subiecti designabilis ad re« gendam a communitate potius, quam ab individua per-

« sona cognoscuntur », quamvis de formis regiminis non monarchicis, seu regiminis nuncupati repraesentativi admittatur, de forma tamen regiminis monarchici admitti non potest, sed si rem nunc perpenderis, aliquando tantum *theoretice* ratio admitti potest, ex eo quod in facto, seu in contingentiis electionum, quae hac tempestate præsertim fiunt, communitates a callidioribus et non bonis civibus saepe decipiuntur et corrumpuntur.

5ª Summus ipse Pontifex in Bulla 25 decembris 1904 sese nullum ius habere declarat; apertissime enim id tradit hisce verbis: « Ius eligendi R. Pontificem ad Sacrum « R. E. Cardinales unice et privative pertinet, excluso « prorsus atque remoto quolibet cuiuspiam alterius Ec- « clesiasticae dignitatis, aut laicae potestatis gradus et « ordinis interventu ». [1] Ergo doctrina de iure unius R. Pontificis quoad successorem neque congrua, neque ullo alio sensu admittenda est.

R. Nego antecedens et consequens. Ex historia constat a Summis Pontificibus Sacrum Collegium in adiumentum regiminis Ecclesiae institutum esse. Quidquid iuris proinde Sacro Collegio inest, per concessionem summorum Pontificum inest: adeo ut universa Ecclesia in Sacro Collegio

(1) *Codex iuris canonici*, Docum. 1, tit. 16.

altissima dignitate, et magno fulgore Sacrae Purpurae aucto, iura delegata semper agnoverit et agnoscat. Ius privilegii circa electionem R. Pontificis, sede vacante, circa electionem successoris ius R. Pontificis est.

Verba autem « *ius eligendi R. P.* » *pertinet unice et privative* « *ad Cardinales* », significant, neque Ecclesiae, neque ulli alii hoc privilegium concedi, et nullatenus quemlibet cuiuscumque dignitatis et gradus in electione Summi Pontificis posse sese ingerere: illa verba significant omnes ad unum de Ecclesia excludi, et Cardinales tantummodo ad designandam successorem, sede vacante delegari.

6ª In Constitutione « Praedecessores nostri » (Documentum III *Codex novi Juris Can.*) *ius iamdiu praescriptum de electione declaratur.* Ergo Summus Pontifex ius de successore non habet.

R. Enucleatur antecedens: negatur consequens.

Iam probatum est (thes. II, n. 50) per verba « ius « eligendi Romanum Pontificem unice pertinere ad Car- « dinales » significari, quemlibet alium excludi a concessione privilegii, et ad Cardinales tantummodo hoc privilegium pertinere; quod etiam in præcedenti responsione dictum est.

Eiusmodi autem privilegii ius, ex quo tempore Summi

Pontifices Cardinalium Collegium instituerunt, his et non aliis concessum fuisse constat; ob hanc rationem dicitur esse praescriptum. Sed haec praescriptio semper est de privilegio, quod proprium Cardinalium est, et est respectu ad alios omnes sive ecclesiasticos, sive Christifideles, qui post institutionem Sacri Collegii exclusi sunt, et excluduntur.

7ª Exceptis primis Summis Pontificibus, beato Petro, S. Lino, S. Anacleto, S. Clemente, S. Evaristo, S. Callisto, qui prout ex historico Eusebio patet, adhuc viventes Ecclesiam regendam successoribus tradiderunt, nec non Felice III (IV) Bonifacio, II et Gregorio VII, omnes alii Summi Pontifices, primis Ecclesiæ sæculis electionem successoris, factam per clerum et populum, postea et in præsentiarum per Sacrum Collegium, recognoverunt. Ergo recognoverunt sese de successore nullum ius habere: doctrina proinde de iure unius R. Pontificis quoad successorem non admittitur.

R. Antecedens distinguitur et enucleatur; consequens omnino negatur.

Summi Pontifices recognoverunt electionem successoris, quæ ex tacita concessione ipsorum ob turbulentissima tempora per clerum et populum facta est, et deinceps ex mandato expresso per Sacrum Collegium, con-

cedo: quæ per alios facta, et ex iure sibi proprio adeo ut Summi Pontifices nullum ius habeant, nego.

Magis atque magis antecedens enucleatur. Dici heic etiam posset: qua ratione Summi Pontifices non personaliter, cum id peragere possint, sed per concessionem tacitam primum, et postea per mandatum, vel delegationem, quæ vere est privilegium (1), utantur iure suo constituendi successorem ?

Ita in promptu responsio est. Designatio episcopi ad Sedem Apostolicam vacantem est factum humanum, quod iuxta regulas humanæ prudentiæ peragitur, sive designatio personaliter a Summis Pontificibus peragatur, sive ab iisdem per alios peragatur.

Summi Pontifices iuxta vigentem legem seu Constitutionem de eligendo successore ita designationem episcopi ad Sedem vacantem romanam faciunt, ut quasi *bonum testimonium* de excellentia et aestimatione sui successoris per Sacrum Collegium habeant, et ipsum Collegium facultatibus ad designationem episcopi in Apostolica Sede vacante augeant.

---

(1) Privilegii definitionem heic iuvat exhibere quæ apud theologos et canonistas communis est. Privilegium obiective definitur: *Lex privata specialem favorem contra, vel praeter ius commune in gratiam concessum.*

Certum est ex discussis nullatenus ab Ecclesia universa ius de constituendo Summo Pontifice successore haberi posse: id quidem rationem iuris communis exhibet. Contra autem vel præter hoc ius commune Sacro Collegio concessum est, a Summis Pontificibus, ut ipsum et nullus alius episcopum successorem in Cathedra divi Petri designet.

Subiective definitur privilegium; *Ius speciale permanens a Superiore contra, vel praeter ius commune in gratiam concessum.*

Suarez, *de legib.*, L. VIII, cap. I, n. 3; Schmatzgrüeber, in lib. V, tit. 33; Pirhing, lib. V, tit. 33; Reiffenstull, *Ius Canonicum*, lib. V, tit. 33; Voet, *Causam ad pandectas;* Vernz, *Ius Decretal.*, vol. I.

THESIS IV.

IUS ROMANI PONTIFICIS DE CONSTITUENDO SIBI SUCCESSORE NUNC TEMPORIS EFFULGET ET SOLEMNIUS AGNOSCITUR.

§ I.

67. — Veritatem huius thesis exponere et probare iuvat: hac enim de facto, seu in re perspicitur a Summo Pontifice iuxta illud: *qui per alios facit, per seipsum facere videtur:* successorem constitui: adeo ut, quae praecedentibus thesibus probata sunt, tamquam in re prae oculis haberi possint. Sed in primis et ante omnia perpenduntur et discutiuntur nonnulla, quae occasione ultimae vacationis Sedis Apostolicae (1) per diaria catholica historice memorata sunt (2) In his autem memoratis prae oculis habendum est, ut supra innuitur (n. 63 thes.) doctrinam de iure

---

(1) Quarta thesis de Constitutionibus Pii Papa X: *Vacante Sede Apostolica, et Commissum Nobis,* nec non de *Motu proprio, Cum proxime* Pii XI hoc anno 1922, edita est in vacatione Sedis Apostolicae post obitum Papae Benedicti XV.

(2) « ELEZIONE DEI PAPI PRIMA DELL'ANNO 1276: È noto come si « debba a Gregorio X la legge che regola il Conclave. Prima di lui non sem-

R. Pontificis quoad successorem, temporum evolutione evolutam esse, ut de doctrina eius Infallibilitatis factum est. Prima aetate Ecclesiae Jesu Christi, quae martyrum

---

« pre fu uguale il metodo della elezione. Nei primi secoli della Chiesa i suc-
« cessori di S. Pietro erano nominati dal solo clero, alla presenza del po-
« polo romano, che si contentava di prestare la sua adesione, ma senza
« avere alcun diritto nel veto. Se talvolta i principi secolari s'immischia-
« rono nella elezione dei Pontefici, o il fecero perchè richiesti dal clero,
« o per sopruso, non mai approvato dalla Chiesa.

« S. Bonifacio I (418-432), la cui elezione era stata turbata dall'antipapa
« Eulalio, sentendosi prossimo a morte, scrisse all'imperatore Onorio
« perchè tutelasse la elezione del successore, e si ottenne un Rescritto, che
« venne poi inserito nel corpo del Dritto. Il Baronio, il Labbè ed il Pagi
« osservano che da questo Rescritto di Onorio incominciarono gli impera-
« tori prima, ed i re d'Italia dopo, a intervenire nelle elezioni dei Papi,
« ma purtroppo non sempre a tutelare l'ordine e la quiete delle elezioni.

« Odoacre nel 476, fattosi re d'Italia, pubblicò una legge, con cui proi-
« biva che il clero romano procedesse alla elezione del Papa senza il suo
« consenso, o quello del prefetto del Pretorio, che lo rappresentava,
« dicendosi a ciò delegato dal Papa Simplicio.

« Difatti alla morte di questo (483), il clero si unì per dargli un succes-
« sore e si vide entrare nell'assemblea Basilio, prefetto del Pretorio, il
« quale protestò che l'elezione non sarebbe stata valida senza il suo
« beneplacito per conformarsi agli ordini di Papa Simplicio. *Pro bono*
« *pacis* il clero romano tollerò l'intromissione, ma un concilio tenuto
« nel 502 in Roma decise che l'allegata attribuzione di Simplicio non era
« affatto autentica.

« Ma anche dopo, per reprimere i tumulti delle fazioni, venne implorato
« il braccio secolare. Nell'824 Lotario fu inviato a Roma per mettere fine
« allo scisma suscitatosi nella elezione di Eugenio II. Invece nell'847 San
« Leone IV si fece incoronare pontefice senza attendere l'arrivo del legato
« imperiale.

« Il clero romano, finalmente, ebbe il libero esercizio della elezione del
« Papa, e nel 1058, dopo gli immensi sforzi del Cardinale Ildebrando, la

aetas nuncupanda est, et saeculis sequentibus usque ad decimum, Summi Pontifices, vel more consuetudinis, vel usu non prohibito, qui tacita permissio habendus est, iure de constituendo sibi successore usi sunt: id enim theologice omnino certum est, quia ex divina monarchica Ecclesiae constitutione hoc ius cathedrae episcopali divi Petri semper inhaesit et inhaeret. Adeo certum est tacitam, vel expressam permissionem eorum designandi, seu eligendi, successorem per Clerum romanum fuisse, ut si haec permissio deesset, electio haud valida fuisset, quia nunquam in regimine monarchico Ecclesiae a communitate, vel a coetu aliquo ex iure sibi proprio successor Cathedrae divi Petri constitui potest.

In turbolentissimis temporibus tamen Summi Pontifices permittendis nunnullibus usibus quoad designationem personae successoris prudentia usi sunt. Sed

---

« Chiesa romana si sottrasse dal giogo di Cesare. Infatti a Nicolò II nel « 1061 successe Alessandro II senza che l'imperatore fosse stata interpel- « lato. Fu allora che Enrico III, indignato, fece eleggere l'antipapa Ca- « doloo. Nel 1073 Gregorio VIII, il fortissimo Ildebrando, fu eletto Papa « dal solo clero.

« Il primo Papa eletto da soli Cardinali fu Celestino II nel 1143 ». (Giornale *L'Unità Cattolica*, 2 febbraio 1922, n. 37.

semper auctoritate sibi propria ipsi dispositiones de successore constituendo in quavis forma designationis, vel electionis permissae, tradiderunt, etsi id usu tantummodo non prohibito peregerunt. In permittenda sane electione successoris per clerum romanum semper ius suum praesetulerunt: illud etiam praesetulerunt, et hoc usi sunt, quando Reges (ut Odoacres) et imperatores, quippe qui plerumque ad plebis tumultus impediendos, vel compescendos, rogati sunt, de electione Romani Pontificis non pauca contenderunt. Exemplo Papae Ildebrandi luculentissime constat. Necessarium visum est haec tamquam praenotanda ad thesis probationem innui.

68. — Praeter doctrinam Concilii Vaticani, qua plenitudo potestatis Romani Pontificis, et exinde etiam ius de successore nunc temporis effulget, ex promulgatione Codicis Iuris Canonici iterum atque iterum id factum est, ut in re hoc ius Pontificis perspiciatur. In canone 160 haec praescribuntur: *Romani Pontificis electio unice regitur Constitutione Pii X « Vacante Sede Apostolica », 25 decembris 1904.*

Constitutio huiusmodi itaque suis praescriptionibus

habet, et exhibet quomodo ius Romani Pontificis de constituendo sibi successore effulget, et solemnius agnoscitur, adeo ut hoc solemniori et maximo documento, quod alias nonnullas praecedentes Constitutiones de electione Summi Pontificis complectitur, lux immensa diffundatur ad damnandas contentiones, quae praeteritis saeculis de Papatu factae sunt tam ab ambitiosis de clero, qui Luciferum ribellem sequentes, sese antipapas constituerunt, quam a principibus civilibus.

In titulo autem II Constitutionis, cap. I, n. 35, haec praecipiuntur: *Omnibus autem Cardinalibus in virtute sanctae obedientiae praecipimus et mandamus, ut, postquam per Cardinalem Decanum, vel ipso impedito, per alium Cardinalem de vacatione Sedis Apostolicae certiores facti, atque ad novi Pontificis electionem advocati fuerint, nisi legitimo impedimento detineantur, indictionis litteris obtemperare, et ad locum eisdem designatum pro perficienda Pontificis electione statim se conferre debeant.*

Hisce verbis manifestissimum est Romanum Pontificem non solum de successore summum studium et maximam curam in animo habere, sed etiam ab eo et non

ab alio per mandatum seu delegationem, a Sacro Collegio exequendam successorem constitui. Summus Pontifex quidem, qui ea ratione *praecipit et mandat pro perficienda Pontificis electione,* ius habet. Si enim hoc ius non haberet, frustra verba illa essent: *praecipimus et mandamus.*

Et animadvertendum quoque est, ita mandatum, vel delegationem esse factam, ut omnino et absolute executio habeatur, ex eo quod praeceptum est *in virtute sanctae obedientiae.*

69. — Praeterea si tu vim mandati, vel delegationis, perpenderis, magis atque magis ius Romani Pontificis perspicitur. Qui sane mandatum vel delegationem exequendam commisit, limitatam et circumscriptam facultatem, seu potestatem committit. In constitutione (tit. 2º c 1º, n. 35) limitatio est in verbis: *pro perficienda Pontificis electione.*

Fortasse dices: illa verba finem delegationis exhibent. Respondeo: finem et limitationem facultatis exhibent. Hisce verbis mandatum, vel delegatio, specifice statuitur: limitatio facultatis quoque statuitur.

Limitatio facultatis etiam ex hoc manifestissima est, quod Summus Pontifex in constitutione (tit. 1°, cap. 1° n. 1) *decernit esse irritum et inane quidquid potestatis et iurisdictionis ad Romanum, dum vivit, Pontificem pertinentis coetus ipse Cardinalium duxerit* (*eadem vacante Ecclesia*) *exercendum, nisi quatenus in hac nostra Constitutione expresse permittatur.*

Summus Pontifex etiam regulas singillatim, quas ad exequendum mandatum vel delegationem esse putat necessarias, servandas tradit, et in nonnullis poena excommunicationis specialissimo modo reservatae *eos subjici* declarat, qui eiusmodi regulas non servant.

Regulae initium capere videntur a verbis: *Electio Summi Pontificis* (tit. 1°, cap. IV, n. 47) *fieri debet in Conclavi, et eo clauso, sublata tamen nullitate electionis a Gregorio XV vel alio quovis decreto Pontificio, hac de re statuta...* (n. 49). *Clauso Conclavi, nulli ad colloquium cum Cardinalibus, vel aliis in Conclavi partem habentibus admittantur.*

Regulae, ex plenitudine potestatis conditae, obsevandae traduntur, et semper vigent, et servandae sunt.

70. — Pars autem Constitutionis, vi cuius ius Summi Pontificis longe maxime effulget, in eo est, ut ipse in delegatione, vel mandato eum suum successorem acceptet, recognoscat, ac declaret, qui a Sacro Collegio per formam ab ipso Pontefice statutam, praescriptam et sancitam Papa successor exhibetur: adeo ut, servata forma praescripta, vel modo, electio sit valida, et is, cuius nomen a Sacro Collegio exhibetur, canonice successor habeatur.

Forma a Summo Pontifice praescripta, vel modus habendus, est triplex: *taxative* unum e tribus modis in designatione nominis habendum esse praescribitur. Verba Constitutionis ita se habent. *Quod quidem* (cap. V, n. 54) *una tantum ex tribus, qui infra exponuntur, modis, sive formis, peragendum est, alioquin electio nullitatis vitio subiacet.*

Animadvertito: is tantum, qui plenum ius habet, nullitatem alicuius actionis decernit.

71. — Verba, quae primum modum exhibent et praescribunt, sunt: *Primus modus* (n. 55) *est, qui quasi per inspirationem vocatur, quando scilicet omnes Cardinales, quasi afflati*

Spiritu Sancto, aliquem unanimiter et viva voce Summum Pontificem proclamant.

Verumtamen Summus Pontifex, ut suum ius semper servet, de hoc modo per inspirationem nuncupato, edocet in Constitutione, quaenam esse debeant verba, quibus modus habendus est.

Exemplum autem huius, potest esse huiusmodi. Si quis e Patribus (n. 55) *clauso Conclavi, nullo, ut profertur, praecedente speciali tractatu diceret: Reverendissimi Domini N. iudicarem illum eligendum esse in Summum Pontificem, et ex nunc ego ipsum eligo in Papam. Deinde, hoc audito, si coeteri Patres, nemine excepto, sequentes primi sententiam, eodem verbo eligo intelligibili voce prolato, aut, si non potest, in scriptis expresso, eumdem N., de quo nullus specialis tractatus praecessit, eligerent, ipse N., esset canonice electus et verus Papa.*

Hoc primo modo electionis Summus Pontifex declarans eum N. canonice electum verum esse Papam, eum declarat esse successorem suum. Ius igitur eius de constituendo sibi successore hac Constitutione effulget et solemnius agnoscitur.

72. — Secundus modus electionis est per compromissum (n. 56). Eiusmodi modus habetur, quando a Sacro Collegio aliquibus ex patribus, servatis servandis in Constitutione praescriptis, committitur, ut ipsi, totius S. Collegii vices gerentes, nomen eius designent, qui Pastor catholicae Ecclesiae fiat.

Omissis hic de iure servandis quoad hunc modum, verba quae hanc electionem validam declarant, referuntur. *Facta per Compromissarios electione* (v. ibidem ut supra) *secundum formam eis praescriptam, et in Conclavi promulgata, electus per huiusmodi viam Compromissi est canonicus et verus Papa.*

Quam vim praeseferunt verba Constitutionis: *electus per huiusmodi viam compromissi, est canonicus et verus Papa?* non aliam quidem nisi vim declarationis, qua Summus Pontifex suum successorem Papam agnoscit, et utitur iure suo.

73. — Mandatum tamen, vel delegatio, ex eo quod a Sacro Collegio exequenda committitur, tamquam per viam ordinariam, designationem vel electionem per scrutinium admittit: electio autem per scrutinium est tertius modus.

Verba Constitutionis de hoc tertio modo ita se habent: *Tertius et ordinarius modus, seu forma electionis Romani Pontificis est, quae vocatur per scrutinium. Qua in re plenissime confirmamus et renovamus legem iam a Praedecessoribus sapienter inductam ac per plura deinde saecula semper religiosissime servatam, qua nempe statutum est, ut ille tantummodo Romanus Pontifex habendus sit, in quem duae saltem ex tribus partibus Cardinalium in Conclavi praesentium per secreta schedularum suffragia convenerint.*

Ius quidem Romani Pontificis effulget et solemnius agnoscitur verbis: *ille tantummodo Romanus Pontifex habendus est, in quem duae saltem ex tribus partibus praesentium... convenerint.* Quae verba idem sonant, atque hoc: ego Summum Pontificem meum successorem habendum esse statuo et declaro, in quem convenerint duae ex tribus partibus Cardinalium praesentium in Conclavi, quibus *in virtute sanctae obedientiae praecipimus et mandamus... ut pro perficienda Pontificis electione in designatum locum se conferre deberent.*

Hisce singillatim perpensis, ita argumentum pro tribus modis: Tres modi electionis lex vere sunt, qua vacanti Sedi Apostolicae de successore providetur. Atqui a Summo Pontifice eiusmodi lex lata est: ergo a Summo Pontifice vacanti Sedi Apostolicae de successore providetur. Nunc temporis autem effulget eiusmodi lex, quia electio Summi Pontificis, vacante Sede Apostolica, magna cum veneratione ubique terrarum excipitur.

74. — Sed quaeritur: ex quanam ratione Summi Pontifices, quamvis ob plenitudinem potestatis ius de constituendo sibi successore habuerint, et habeant, eo tamen, potius quam personaliter, usi sunt et utuntur per mandatum vel per delegationem?

A Domino Iesu Christo Ecclesiam suam personaliter traditam esse regendam B. Petro constat; et historico Eusebio testante (vide thes. III, n. 55) a divo Petro, et ab aliis primis Summis Pontificibus personaliter traditam esse regendam Ecclesiam etiam constat. Bonum Ecclesiae tunc temporis designationem successoris personaliter requirebat.

Saeculo VI (anno 526-539) Felix Papa III (IV) Bonifacium II suum successorem personaliter designavit; Bonifacius II (anno 530-532) Vigilium successorem suum etiam personaliter nominavit, quamquam paulo post suum consilium de hac electione personaliter facta mutavit (1).

In his turbolentissimis temporibus, quibus imperatores malis suis artibus Papam designare in Cathedra divi Petri, vacante Sede Apostolica, contenderunt ausu temerario, ad hunc Caesaro-papismum (2) confrigendum Romani Pontifices ius suum de constituendo sibi successore magna sedulitate servaverunt, et plerumque successorem ob tempora turbolentissima personaliter nominaverunt.

Hisce ex historia depromptis, manifestissimum est Romanos Pontifices iure constituendi personaliter successorem usos esse, cum ipsi utentes forma providendi per mandatum vel delegationem gravissima incommoda

---

(1) ALBERS, *Storia Eccles.*, tom. I, § 39.
(2) HERGENRÖTHER, *Storia Univ. della Chiesa*, tom. I, p. III.

in damnum Ecclesiae et fidei timerent; quod etiam in primordiis Ecclesiae nascentis factum est (1).

Admitti itaque et retineri posse videtur Romanos Pontifices tamquam per viam ordinariam usos esse iure constituendi sibi successoris per mandatum (in primis Ecclesiae saeculis etiam tacitum) vel delegationem exequendam a Clero romano usque ad decimum primum saeculum, et in posterum a Sacro Collegio: rationes congruentiae potius de hoc modo, sive usu electionis, quam de alio, perspicuae sunt. In electione sane, seu designatione successoris ad Cathedram divi Petri, seu ad regendam universam Ecclesiam adsistentia quidem Iesu Christi speciali modo habetur, iuxta illud: *non relinquam vos orphanos* (Ioan. 14) et etiam iuxta illud: *ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi*, sed consideratio, aestimatio et iudicium de iis, quae naturaliter consideranda, aesti-

---

(1) Sententia probabilior Vernz de iure Romani Pontificis constituendi successorem tantummodo in casibus extremae necessitatis, et magnae utilitatis Ecclesiae hoc sensu habenda esse videtur, vel ad hunc sensum reducenda esse videtur: ob graviora incommoda, vel mala imminentia Ecclesiae, vel ad magnum bonum. Ecclesiae Romani Pontifices iure utuntur nominandi personaliter successorem et non per mandatum.

manda, et iudicanda sunt, non excluditur, praesertim de idoneitate quoad dona specialia naturae et gratiae. Summi Pontifices itaque id in Domino Iesu Christo censuerunt, ut talis consideratio et aestimatio a Sacro suo Collegio facta esset, quando alius modus non visus est eis necessarius.

Id quidem non absonum factum est: Romani enim Pontifices hunc suum Eminentissimum Senatum Sacri Collegii ita constituerunt et constituunt, ut eos de Clero totius Orbis elegerint et eligant, qui prudentia summa, pietate insigni, seu sanctitate et scientia praestantiori praeclari sunt, et omnes in Ecclesia catholica antecellunt.

Ita etiam constituerunt et constituunt, ut quidquid de plenitudine potestatis ipsis peragendum est in bonum Ecclesiae, auxilium in eo habeant, et tot tantaque negotia magni ponderis per ipsum peragant: etiam quando per alios nomen successoris designare censent, id huic Sacro Collegio committunt.

§ II.

75. — Post Rescriptum, quod Summus Pontifex, S. Bonifacius I ad imperatorem Honorium misit, ut libertatem electionis successoris tueretur, merito Baronius, Labbè et Pagius affirmant imperatores ausu temerario in electionem Romanorum Pontificum sese ingerere coepisse, et eo conata temeraria impudenter contulisse, ut antipapas constituerint: id enim de imperatore Henrico III traditur, qui antipapam Cadoloum constituit. Sed semper ipsi ius suum de constituendo sibi successore pro viribus defenderunt, et in re, quamquam adversantibus imperatoribus, hoc iure usi sunt. Papa Ildebrandus singulari animi fortitudine ingerentiam imperatoris contempsit, ex eo quod coeremoniam coronationis, quae ex more adventu legatorum imperatoris peragenda erat, sine ipsorum adventu peregit.

In posterum Romani Pontifices etiam atque etiam ingerentiam civilis potestatis in electione successoris ad Sedem Apostolicam oppugnaverunt et rejecerunt: reman-

sit tamen et viguit usque ad hauc tempestatem illud, quod dicitur *veto*, vel exclusiva potestatis civilis.

Vis autem huius exclusivae, in eo fuit, ut a designatione successoris ad Sedem Apostolicam exclusus esset is, qui a principe non bene visus est. Id sane libertati iuris Pontificis de successore adversatur: sed nunc temporis ejusmodi exclusiva amota est.

In Conclavi habito anno 1903 post obitum Papae Leonis XIII exclusiva, seu *veto*, contra Cardinalem Marianum Rampolla manifestatum et positum est. Pius Papa X vero, in hoc Conclavi electus, alter Ildebrandus, ut ius Romani Pontificis de successore plenissima libertate in electione fulgeat, *veto*, seu exclusivam potestatis civilis omnino eliminandam esse curavit, et hoc modo peregit: per Constitutionem « *Commissum* » *nobis* 20 ianuarii 1904 excommunicatione latae sententiae speciali modo futuro Summo Pontifici reservata eum plecti decrevit, qui in Conclavi quocumque praetextu, vel quavis forma, *veto* seu exclusivam potestatis civilis, etiam sub ratione desiderii eius manifestet. Verba Constitutionis heic referuntur. *Iam si qua est in Ecclesia vita functio, quae huiusmodi*

libertatem (videlicet Ecclesiae) *postulet maxime, illa profecto censenda talis, quae in Romani Pontificis electione versatur... Quamobrem in virtute Sanctae obedientiae sub interminatione divini iudicii et poena excummunicationis latae sententiae speciali modo reservatae futuro Pontifici, omnes et singulos S. R. E. Cardinales tam praesentes, quam futuros, pariterque Secretarium Sacri Collegii Cardinalium aliosque omnes in Conclavi partem habentes prohibemus, ne, quovispraetextu a quavis civili potestate munus recipiant* VETO *sive* EXCLUSIVAM, *etiam sub forma simplicis desiderii, proponendi.*

Hac Constitutione itaque ius R. Pontificis de successore vere enitet. Facta enim prohibitione, ne quivis munus recipiat proponendi *Veto* sive exclusivam in Conclavi, potestas civilis in impossibilitate versatur seu possibilitate caret exhibendi veto sive exclusivam.

76. — Per recentissimum motu proprio Papae Pii XI, feliciter regnantis, « *Cum proxime* » editum die 1 martii 1922 etiam atque etiam ius Romani Pontificis de successore, tamquam in praxi, effulget et solemnius agnoscitur.

Sacrum Collegium post obitum Papae Benedicti XV,

qui obitus die 22 ianuari 1922 accidit, animadvertit, Cardinales, e dissitis Americae regionibus proficiscentes, Conclavi interesse non posse post decem dies ab obitu Summi Pontificis: animadvertit autem etiam nullam facultatem sibi esse protrahendi ingressum in Conclave ad alios paucos dies.

Pius Papa XI, electus die 6 februari hoc eodem anno, *Motu proprio* « *Cum proxime* » die 1 martii edidit, quo statuit hanc modificationem Constitutioni Pii Papae X afferendam esse, scilicet, post quindecim dies ab obitu defuncti Pontificis, et etiam pot decem et octo dies, si Sacrum Collegium tres alios dies, et non ultra, addendos esse necessarium censuerit, ingressum Cardinalium in Conclave peragendum esse. Summus Pontifex tantum et nullus alius, hanc modificationem legis de electione successoris in Cathedra divi Petri statuere potuit, quia ipse tantum de hac ius habebet.

Vere nunc temporis igitur ius R. Pontificis de constituendo sibi successore effulget et solemnius agnoscitur.

OBIECTIONES,

1ª Constitutio Pii Papae X regulas electionis a Sacro Collegio servandas praescribit, ius autem electionis penes Ecclesiam est, cuius vices ipsum sacrum Collegium gerit. Ergo ius Romani Pontificis de successore non effulget, quia penes ipsum non est.

R. Antecedens, quod duas partes complectitur, distinguendum est: conceditur prima pars, sed eo sensu, quod Constitutio primum complectatur praeceptum *pro perficienda electione successoris*, et deinde regulas servandas ad implendum praeceptum praescribat.

Negatur secunda pars: nunquam sane admittitur et admitti potest ius electionis penes Ecclesiam, cuius regimen monarchicum est: nec admittitur a Sacro Collegio vices universae Ecclesiae geri. Sacrum Collegium enim in omnibus Summum Pontificem repraesentat: ergo etiam in electione successoris eum representat.

2ª Iesus Christus numquam de iure successoris beato

Petro verba fecit. Ipsi Romani Pontifices, nec in praeteritum, nec nunc temporis hoc ius sibimetipsis et non Ecclesiae universae inesse sanciverunt. Ergo.

R. Enucleatur antecedens; negatur consequens. Verba Iesu Christi, quae ius B. Petri de successore complectuntur, sunt ipsissima verba de eius Primatu ad regendam universam Ecclesiam: *et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam. Et tu, aliquando conversus, confirma fratres tuos. Pasce Agnos meos, pasce oves meas.*

Ius regendi universam Ecclesiam complectitur ius constituendi successoris.

Romani Pontifices autem, qui doctrinam de Primatu honoris et iurisdictionis sanciverunt (uti canones Concilii Vaticani) etiam ius de constituendo sibi successore indirecte sanciverunt. Sed praeter hanc doctrinam Romani Pontifices, Gregorius X, Pius IV, Gregorius XV, Clemens XII, Pius IX, qui de electione Summi Pontificis Constitutiones magni ponderis ediderunt, ius etiam de successore sanciverunt.

Praesertim autem ultima Constitutione Pii X, quae

aliorum Pontificum Constitutiones de successore constituendo memorat, dici potest ius Summi Pontificis de successore solemnius sanciri.

Negatur ergo consequens, et merito concluditur ius R. Pontificiis de constituendo sibi successore nunc temporis effulgere et solemnius agnosci.

INDEX

Pag.

PROLOGUS 5

I THESIS – Per virtutem supernaturalem orationis Jesu Christi « *Pater Sancte, serva eos* » Ecclesia iugiter servatur immutabilis, praesertim vacante Sede Apostolica, et eo tempore vacationis nihil innovari potest. 7

II THESIS – Romanus Pontifex ius providendi de successore suo habet 28

OBIECTIONES 68

17312

13.A 2
263

JANNOTTA, ANTONIO M.

AUTHOR
Ed Ecclesia et Primatu Vacante Sede

TITLE
Apostolica

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
	STORAGE - CBEL	

17312